

Elias Taddel Heinrich Cling

Exercitatio De Veritate Unicae Religionis Christianae

Rostochii: Kilius, 1641

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739745778>


Druck Freier  Zugang



Verf.: H. Unger

Et. Taddel.

R. U. theol. 1641.



EXERCITATIO
De
3.
VERITATE UNI-
CÆ RELIGIONIS
CHRISTIANÆ.

Quam
DEO O. M. Auspice
Præside

Dn. MELIA TADDELIO S.S.

Theolog. Profess: publ: & ad D. Petr:
Pastore fidelissimo.

Fautore ac Præceptore suo ætatem
colendo & amando.

Publico examini subijcit

HENRICUS CLINGE.

Rostoch: Megap: A. & R.

*In Auditorio majori ad diem 8. Mens. De-
cembr: Horis matutinis.*



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M, DC, XLI.





BONO CUM DEO.

THESIS I.

Mille Sexcenti quadraginta unus ferè elapsi sunt anni, ex quo tremendum & sacrosanctum. *ἡμετέριος σωτήρ*, in Christo Jesu Servatore nostro, per cœlestem patrem patefactum & declaratum est.

II. Varia tum erat ac multiplex rerum cunctarum facies, severitate & Justitia Dei, quam Judæi semper spreverant, in Palæstinâ saviente, Græcorum potentiâ debellatâ, Romanis Imperatoribus, in summum potentæ ac Majestatis culmen erectis, totiq; mundo terrorem incutientibus.

III. Ad hæc efficta Religio, falsorum Deorum cultus, pietatis speciem mentita superstitione, sive uno verbo Idololatria, permisso omnipotentis Dei, fraudibusq; Sathanæ, & diuturno temporis tractu, adeoq; consuetudine ipsâ, quæ altera natura appellatur, tam altas radices egerat, ut neq; humana ope extirpari, neq; traditæ à Christo doctrinæ ullo pacto cedere posse videretur. Quare aliter fieri non potuit, quin Christicolæ, in medio malorum constituti, omnibusq; excepto solo Deo in visis, igne, aqua, ferro necarentur, & Monarchis & rectoribus populorum, qui vel jam tum proni erant ad maturanda cruenta consilia, vel instinctu, monitis, hortationibus, obsecrationibus deniq; suorum urgebantur, creberrimas innocentie suæ poenas darent.

IV. Prima Persecutio Petri & Pauli interitu celebris, capit Anno Christi LXIII. Neronis I X. Secunda Domitiani temporibus accidit. Tertia sub Trajano, Quarta sub Antonino Philosopho. Quintam Severus vidit, Maximinus Sextam. Septimæ auctor est Decius, Octavæ Valerianus, Aurelianus nonæ. Donec tandem Diocletianus Decimam superioribus & diuturniorem, utpote decenalem, & vehementiorem atq; immaniorem concitaret. Ut præter

A

alios

alios S. Augustinus lib. de Civit. Dei XL V. c. 32. testatur. Dici autem non potest, quod hominum millia, quantis & quam exquisitis poenis sint affecti, dum alij capite truncarentur, alij cruci affixi à bestiis dilaniarentur, nonnulli vivi comburio necarentur, omnes ad primum intuitum ultimo afficerentur supplicio.

V. Notanda sunt magni Scaligeri verba, quibus modum poenæ in prima persecutione usitatum exprimit. Ea in tanto auctorum veterum & recentiorum numero, qui perturbatam & exulceratam illorum temporum faciem, summa cum diligentia depictam posteritati reliquerunt, ut nobis non tantum incitamento essent, ad virtutem & pietatem amplectendam, verum etiam ad gratias agendum Deo, quod hactenus ab his & similibus calamitatibus Ecclesiam suam defenderit, digna nobis visa sunt ut adscribebantur. *Supplicium Christianorum ait, ut alligati axibus, cerâ & pice illiti cremarentur, ut usum nocturnorum luminum vigilibus præstarent, auctore Cornelio Tacito; h. e. ut tunicâ molestâ induti per totam noctem ardentes, vigilibus essent vice ignium excubiæ. Tunica autem molesta erat, indusium cerâ litum, quo fontes tadâ & papyro circumdati supervestiebantur. Scholiastes Juvenalis: Nero maleficos homines tadâ & papyro & cera supervestiebat, ac sic ad ignem ad moveri jubebat, ut arderent. Hæc Scholiastes ille in illos versus Juvenalis, qui sine dubio de Christianis dicti sunt, (quos, ut idem Scholiastes postea notat, maleficos i. e. magicarum superstitionum Pontifices vocabant) & ad hanc historiam referuntur:*

Pone Tigillinum tadâ lucebis in illâ,

Quâ stantes ardent, qui fixo gutture sumant,

Et latus mediam sulcus diducit arenam.

Quia igitur Papyro circumdati, cera superinduebantur, propterea Cerei dicti fuere, quia cerei, intus papyro farii extrinsecus cera vestiuntur. Idem Scholiastes, Vivus ardebis, quemadmodum in munere Neronis vivi asserunt, de quibus ille jusserat cereos fieri, ut lucebant spectatoribus, cum fixa illis essent guttura, ne se curvarent. Ita hæc tunicæ illi & axi semissali alligati, sarmentorum ambitu comburebantur, unde semaxij & Sarmentitij dicebantur. Hæc Scaliger ad
Euse-

Eusebium num. M M. LXXXII. Quæ etiam Baronius in Annales suos tranſtulit ad Annum 66. num. 4.

VI. Nec atrocitate tantum & ſœvitia in Chriſtianos debacchatum eſt, verum etiam voce & ſcriptis doctrinam eorum oppugnare ſunt conati: *Quamvis* utrumq; fruſtra; Nam & conſtantia Martyrum, Spiritu Dei obſignata, cruciatus omnes vicit, & apologiarum, quas tuendæ & ab injuriis & calumnijs vindicandæ innocentiffimæ famæ ergo publicavere, ſolida fundamenta, paganorum nanijs ac quiſquilijs prævaluerunt ac præponderarunt. Oſtendunt hoc aperte Juſtini Philoſophi & Martyris paraneſes ad Græcos, Apologia dux, quarum poſterior Anno *Ætæ* CL. ab ipſo ſcripta eſt, & liber de Monarchia; tum Athenagoræ qui Juſtini æqualis fuit, Apologia, & S. Theophili Antiocheni, ad Antolicum libri tres: ut & Tatiani *ſtrentiſſimus contra gentes liber*, quemadmodum Orationem ipſius contra Græcos nominat S. Hieronymus, *in libello de Scriptoribus Eccleſiaſticis c. 29.* Et hi omnes duobus primis ſeculis Eccleſiæ ſuam fidelem operam navarunt, ſicuti in tertio idem cum ſummo fervore & zelo præſtiterunt. Clemens Alexandrinus oratione exhortatoria, Tertullianus Apologetico, & Minutius Felix Dialogo Octavij nomine indigitato, Origenes duodecim contra Celſum, Cyprianus tractatibus duobus, uno contra Demetrianum, altero de Idolorum vanitate, Arnobius libris ſeptem contra gentes. Nam qui Octavus vulgò habetur, non Arnobij eſt ſed Minutij Felicis, de quo paulo ante. Lactantius quoq; Firmianus totidem diſertiffimis, & ſuaviſſimis divinarum inſtitutionum libris, idem argumentum tractat.

VII. Nec quartum ſeculum propugnatoribus fidei cœleſtis, & oppugnatoribus humanarum traditionum caruit, cum per Dei gratiam manibus doctorum teratur eruditiffimum Eusebij Cæſarienſis opus *εὐαγγελικῆς προπαρασκευῆς*. De quo quid *πολυμάθης* Gerhardus Johannes Voſſius in ſecundo ſuo de Hiſtoricis Græcis cenſuerit, non importunè huc tranſtulero. *Chriſtiana*, ait, *religionis veritatem adverſus Philoſophos tuetur aureis commentariis, de preparatione Evangelica*. Et poſtquam Joſephî Scaligeri notas in ejuſdem Eusebij Chronica, auro præſtantiore

maioresq; quam ut simile quid eo in genere ab alijs confici possit, judicasset, rationes annectit: Nam eo Eusebius sat̄ docet, omnes se referasse arca Philosophorum, Historicorum, Theologorum, non modo Grecorum, sed etiam Egyptiorum & Phœnicum Atq; hæc quidem eō fecit, tum ut ex divina lege arguat gentiles, tum ut comprobet multa eos de Hebræorum fontibus hausisse. Paulo ante etiam optaverat, ut tandem aliquis exurgeret, qui in illo quod diximus præparationis Evangelicæ opere similem Scaligeranis præstet industriam, cum ipsi insignes sint, & accuratiori interpretatione, quam qua hæctenus usi sumus, dignæ; quod ipsum & nos cum illo desideramus. Huc etiam pertinet Athanasij *λόγος κατ' ἑλλήνων*, & Julij Firmitij Materni scriptum de erroribus prophanarum religionum, Constantini Magni filijs consecratum, egregius sanè iudicio Bellarmini liber, ita enim ab ipso appellatur libro de Scriptor: Ecclesiasticis p. 81. Neq; aliud videntur intendere invecitivæ duæ Gregorij Nazianzeni, & libri decem Cyrilli, quos Juliano Apostata non minori *παρρησία* opposuit, quam Symmacho de Ethnicorum sacris sollicito oratione prosâ contra dixit Ambrosius, & versâ Aurelius Prudentius. Ante omnia autem memorandi in quinto sunt Augustini, celebris istius Hipponensium Episcopi, duo & viginti de civitate Dei libri, in quos commentarium aureum scripsit Ludovicus Vives Valentinus. Augustino ex eodem seculo jungatur Theodoretus *ἑραπειτικῆς ἑλληνικῶν παθημάτων*, & ex duodecimo Thomas Aquinas contra gentes itidem egregiè disputantes.

VIII. Sed & recentiores, & quidem magni nominis Viri, idem argumentum non infeliciter excoluerunt, nam & M. Johannes Schroderus in opusculo suo de principio Theologiæ, & Gregorius de Valentia in Analyti sua eodem collimant. Ex professo autè de eadem materia scripserunt philosophica subtilitate Ræmundus Sebundus, dialogorum varietate Ludovicus Vives; maximâ autem tum eruditione & facundia Philippus Mornæus. Item, Hugo Grotius, & Gerhardus Johannes Vossius. Quamvis in libris hujus de ortu & progressu Idololatriæ, gentilismus potius destruat, quam veritas religionis Christianæ astruatur. Adversus Judæos tot fere

tot ferè calamum strinxerunt, quot commentati sunt in S. Scripturam, nam loci evidentiores, qui de Messia agunt, hanc necessitatem illis imposuerunt. Nonnulli tamen ex instituto & peculiari ratione hanc causam suscepisse videntur. in quorum numero est Nicolaus Lyranus ex Judæo Christianus factus, cum sancto Bernhardino Senensi, Johanne Gersono, Petro Galatino, Luthero, & Constantino L' empereur. Nam is quoque manum huic operi admovebit, ut constat ex dissertatione ipsius ad lectorem, quam itineratio Benjaminis præmisit. Quod eos attinet qui adversus Muhamedanos scriptis inclaruerunt, eos maximam partem ex Cuspiniano complexus est vir magnæ diligentia Theodorus Zuingerus, in Theatro Vitæ humanæ, Volumin: s. lib 4. p. 1540. Quare & illos nunc subijciemus: Multi, ait, Alcoranum excellentes Græci ac Latini confutarunt & condemnarunt; Johannes imprimis Damascenus, Cardinalis dimisso titulo, Casariensis Ecclesia præfatus, in altissimū reconditus montibus, parvo monasterio contentus, vocatū ex Hispania legi Arabica magistris, Alcoranum Mahometis in nostram linguam convertit, & ineptias ejus verū argumentū refutavit, teste Ænea Sylvio cap. 42. Europa. Petrus Abbas Cluniacensis post Basilea Nicolao de Cusa Cardinali hunc Alcoranum translatum tradidit, ac librum quendam alium de generatione Mahometi. Quem ut intelligere posset Constantinopolim venit, ac Pera doctos fratres sciscitatus de dubiis, ubi redijt, librum scripsit de cribratione Alcorani eruditissimum. Excitatus & Dionysius Carthusiensis, opus insigne contra Alcoranum Nicolao Pontifici nuncupavit. Alij præterea plures, ut Johannes Cantacozenus, quem convertit Gualterus, Pius secundus, & Philippus Melancthon, & Euthymius Zigabenus. Omnes tamen Ricardus ordinis prædicatorum, quem alij Ricoldum vocant, qui Arabicū literū Baldaci celebri academia Arabum operam dedit, superare ingenio visus est. Hic Richardus dignus visus est Luthero, ut verteretur. Quod etiam præstitit, ut videre est tom. II. Germanico edit. Witeb. Nec dubito Nicolaum Clenardum utpote peritissimum Arabicæ linguæ, si in arcem causæ Mahomedanæ & ipse invasisset, quemadmodum in epistolis ad Jacobum Latomum Præceptorem suum non obscure pollicitus est, orbem literatorum illustrare potuisse. Sed morte præventus, nihil quod sciam, hoc in genere edidit.

IX. Non debet autem alicui mirum videri tot præclaris ingenis hunc præcipuè laborem placuisse. Quid enim est quod universum orbem magis afflixerit, quod Imperatores cum Imperatoribus, Reges cum Regibus, Dynastas cum Dynastis colliserit, & tantum non everterit, quam Religionum diversitas? Neq; loquor tam de illis stragibus & calamitatibus, quas nimium partium studium inter Christianos ipsos peperit, quam de his, quas aperti Christiani nominis hostes, & nobis & majoribus nostris intulerunt. Ergo profusionem sanguinis humani, quem Christus sanguine suo sanctificavit, quantum in se fuit, impedire cupientes, manibus pedibusq; obnixè fecerunt, ut collatione instituta inter Religiones, quæ partes sequendæ essent, edocerent. Secundo stimulum illis addidit illa à Christo tantopere deprædicata charitas, quæ latere nescit, nec constringi se patitur, sed foris erumpit atq; in commune consultit. Certè omnes ex iisdem constamus elementis, & unus omnium Pater est Deus. Haurimus quoq; eundem aëra, unam incolimus terram, eodem solè incalescimus. Idem coelum nos ambit, idem mare, & quod maximum est, non tantum nostrum omnium Redemptor est Christus, verum etiam si pij fuerimus, & benè transgerimus vitam, communis patria nos manet, domicilium commune, communia gaudia. Ut ferro & saxo durior sit, qui cum possit, publicum hocce bonum non promoveat. Ad hæc tenetur quisq; veritatem, quantum ejus fieri potest, clariorem & illustriorem reddere, ne errorum & pravarum opinionum nebulæ eam obfuscent, ne absurdum aut falsum obtineat, aut quavis alia ratione Veritas detrimentum capiat. Idq; cum in omnibus sedulo curandum, tum vel maximè in ijs quæ momenti alicujus sunt. Imo quo utilius, gravius, & præstantius aliquid est, hoc circumspiciendus & accuratius in ejus serutatione est versandum. Quare etiam ex hoc capite, simul etiam, ut Apostoli Pauli præcepto morigeri essent, qui in Epistola ad Tit. c. 1. jubet τῶς ἀνπιλέγοντας ἐλέγχειν, Symbolum suum conferre voluerunt.

X. Præterea Dei gloriam amplificare & orbi notam facere sunt annixi; qua in re autem magis id præstarent, quam annuntians voluntatem Dei, corrigendo miseros mortales, cæcitatem populo-

populorum arguendo, ostendendo viam salutis, aperiendo Mysterium à seculis absconditum, de redemptis per Jesum Christum Dei filium miseris hominibus: & si quæ alia sunt quæ huc pertinent. Adde quod Monarchas & Pastores gentium à somno incuria exuscitatos, ad fovendam, alendam, & propagandam Ecclesiam, incitare hoc pacto sunt conati. Est enim Politicus status ovilis Christi gremium, & Imperia à Deo in hunc finem sunt constituta & ordinata, ut militans Ecclesia, quam diu in hac miseriarum & ærumnarum valle Deus eam esse sinit, à lupis & leonibus defendatur, & benignè tractetur. Hunc scopum viri illi nunquam non laudandi intenderunt. Quid, quod cordi illis fuit salus eorum, qui patriam relinquentes ad externos abeunt, ubi alij interdum mores, dissona doctrina, & toto genere distinctæ de Deo sententiæ.

XI. Aspiciamus primò Europam nostram, hic & Polonia, & Lithuania, & Bohemia, & Moravia, & Belgica, sive inferior Germania, Judæos nobis suppeditabit, Turcia Muhammedanos, Russia, cum ultimo Septentrione Paganos; Certè nonnullos horum admodum superstitiosos fuisse, ex Olao Magno lib. 3. c. 2. discitur. Ex alijs Europæ oris per Dei gratiam excessit Paganismus. Utinam quoq; ex reliquis duabus, quas Veteres tantum cognoverunt, hujus continentis partibus! Sed vota nostra nunc quidem irrita sunt, nam maxima pars Tartarorum in Asia ei addicta est. Sinenses vero omnes, & multi ex Sinesium vicinis Indis, cum Regibus Siamis, Pegu, Calecuti, Narsingæ, alijsq; simulacra colunt. Quid quod maritima etiam Africa, & si Europeorum consuetudine sapius utantur, hac labe infecta legantur. Sunt & in Numidia, quæ hodie Bile-dulgerid, in disertis Lybiæ, interq; Nigritas, in Ajana-zangibar, Melinda, Mozambiqua plurimi ejusdem farinae. Neq; aliter se res habet apud Cafres, & incolas Insulæ Madagascar. De reliquis ad meridiem magis magisq; vergentibus locis, quod referam non habeo cum usq; quaq; mediterranea illa explorata nondum sint. Verisimile autem est eos in eodem luto herere, & consimilem prioribus agere vitam. Quod etiam censendum est de America, quam Anno Christi M. CCCC. LXXXII. XCH, Christophorus Colura-

Columbus feliciter intravit. Certè tum temporis cum primum de tegetetur, omnes ejus incolas toxico hoc veneno infectas invenerunt. Nunc & si paulatim studio & opera Europeorum, qui abditissimos Oceani recessus inquirunt, cunctas Orbis oras, cuncta regna tentant, adeunt, intrant, & quo ad ejus fieri per naturam potest, perrumpunt, à beluinis moribus ad humanitatem, à barbarie & ruditate, ad culturam animorum, à foedis superstitionibus & impietate Idolatræ, ad fidem in Jesum Christum ducantur; Diaboli tamen fraudibus ita adhuc bene multis in locis sunt expositi, ut *ἀνθρωποθύταις* sive victimis humanis Deos suos se celebraturos & placaturos esse existiment.

XII. Prætereo, quod Judæi etiam alijs in terris, quam quas supra enumeravimus, ingenti multitudine reperiantur. Hoc certum est Muhammedismum longe lateq; dominari, extinctis amplissimis quondam & celeberrimis in Oriente Ecclesiis. Delineabimus itaq; etiam ea loca, quæ ab hac secta occupata, nostris, in quibus se nos Christiani vivimus, tractu suo non tantum non cedunt, verum etiam superant. Idq; faciemus verbis Johannis Cotovicinam uberiorem horum explicationem apparatus Theologiæ Cl. Calixti suppeditare poterit. *Lex ait Muhammedea, quæ Turcis Maurisq; communis est, non solum per universum Osmannidarum Imperium, puta Egyptum, Syriam, Armeniam, Mesopotamiam, Chaldeam, Cappadociam, Asiam minorem, Imperium Trapezuntinum, Græciam omnem, Insulasq; & Marii Mediterranei & Archipelagi, Peloponnesum item, Epirum, Ætholiam, Achajam, Macedoniam, Selavoniam, Bosniam, Walachiam, serviam, Bulgariam, Mysiam, Ungariam, sive Pannoniam aliasq; regiones; verum etiam apud Scythas, Tataros hodie (vel ut alii volunt Tartaros appellatos) Persas, Indos, Arabes, Æthiopes, Africanosq; ceteros longè lateq; dominatur. Hæc Cotovicus in itiner. V. c. 1. Brevius Melanchthon lib. in vita Ambrosii: Secuta est Tyrannus Mahumeti quæ Ecclesias funditus delevit in Africa, & magna Asiæ atq; Europe parte & nunc latè grassatur in vicina Pannonia, & penè obsidet Germaniam. Et Grotius lib. 1. Muhammedani sub Imperio Turcæ, Persæ & Panorum. Dico itaq; homini Christiano in tantis itinerum ambagibus, ubi incurrat in multos supra-*
dicta-

di ctarum sectarum, talibus scriptis opus esse, quasi quodam scuto
& fulcro, ut si acumine intellectus polleat, adversarios proprio ju-
gulo conficiat, si simplicior autem, id tantum agat, ne fraudulentis
& captiosis sermonibus irretiarur.

XIII. Postremo ut alias rationes, quibus inducti animum ad-
scribendum appulerunt, nunc omittam, imitati sunt hac in parte
exemplum Apostolorum, qui etiamsi miraculis inclarescerent, si-
milibus argumentis interdum sunt usi. Ita Paulus Act. 17. v. 24. do-
cet, cum ipsum lumen naturæ, tum testimonium Arati Poëtæ erro-
res Atheniensium redarguere. *Deus ille, inquit, qui fecit mundum
& omnia quæ in eo sunt, cum sit cæli & terre Dominus, in manu fa-
ctis templis non habitat, nec manibus hominum colitur, alicujus rei
agens, cum ipse det omnibus vitam & halitum & omnia, fecitq; ex uno
sanguine totam gentem hominum, ut habitaret super universa super-
ficie terræ, desinitis præstitutis temporibus, & positis terminis habita-
tionis eorum, ut quaerere Dominum, si forte palpando eum invenirent:
Quaquam profecto non longè abest ab unoquoq; nostrum, in ipso enim
vivimus, & movemur & sumus, sicut & quidam vestratium poetarum
dixerunt: nam hujus progenies etiam sumus. Progenies ergo DEI
cum sumus, non debemus existimare auro & argento, aut lapide scul-
pturæ artificij, & excogitationis hominum numen esse simile. Hæc
Paulus, quæ si quis discutiat ac perpendat, inveniet hæc argumen-
ta. 1. Deus est creator & Dominus rerum omnium, quæ in cælo
sunt & quæ in terra, Ergo certis locis non astringitur, sive templis
manu factis circumscribitur. 2. Deus est Monarcha & rector uni-
versi, Ergo nihil ipsi ex victimis & libaminum oblationibus accre-
scit. 3. Deus hominem quoq; condidit, & in statu suo conservat,
in ipso enim, secundum Aratum, & veritatem ipsam, sumus, vivi-
mus, & movemur. At homo infinitis parasangis antevertit aurum,
argentum, lapidem, & quamvis statuam. Ergo multo magis Deus.
4. deniq; si statua aut aliud quippiam arte factorum, cum *ποίησις*
tantum sit artificis, homo censeretur non potest, Ergo multo minus
Numini illud potest esse simile, cum ipse statuarius vel artifex à Nu-
mine illo sit fabricatus. Sic Paulus Argumentis ex naturæ lumine
depromptis Idololatrias refutat. Ut ita non temerè & præcipitan-*

ter sed cautè & providè rem egisse videantur, contra quàm nonnulli existimant, quotquot provinciam hanc adversus gentiles & alios Christianismi professos inimicos, susceperunt.

XIV. Oportet autem Religionem per quam Deus cognoscitur, & cognitus debito afficitur cultu, ita comparatam esse; PRIMO ne vel inhonesti quid & turpis hominibus tradat & præcipiat, vel falsam & absurdam contineat doctrinam. Quod si enim dogmata & regulæ vitæ communis, cum tamen temporarium & πολιτικόν sive civile bonum tantum procurent, omnis fœdi & indecori expertes esse convenit: quanto magis id abesse censendum est ab illis, quæ à Deo patefacta & æternam concernentia beatitudinem, ipsi quoq; DEO cultum ceremoniamq; afferunt.

XV. SECUNDO certum est, non heri aut nudius tertius coepisse, sed statim cum hominibus ipsis productam, & revelatam esse. Id enim & miserorum mortalium lubrica conditio, cum sibi relictæ de voluntate numinis sufficienter judicare nequeant, requirit, & exigit providentia divina, quæ unicuiq; rei necessaria media ad finem sibi proportionatum consequendum offert & suppeditat. Quapropter utraq; manu, (verba sunt communis Germaniæ præceptoris Philippi Melanthonis è vita Ambrosii, quam tom. 2. orat. & præfat. scripsit) hypothesis illa accipienda est, solam eam religionem veram esse, quæ prima. Ideo enim condidit Deus humanum genus, ut esset aliqua Ecclesia, in quâ vera ipsius notitia luceret, eoque se patefecit non uno modo, impresit omnium mentibus nascentes nobiscum notitias de æterna mente, opifice rerum, & gubernatrice humani generis, de discrimine honestorum ac turpium, & alias multas. Addidit & voce suâ doctrinam, quæ ostendit, quomodo invocari velit. Nihil itaq; dubium est, inde usq; ab initio generi humani veras aliquas religiones fuisse. Hoc teneamus in causa tanquam ἡγεμονικὴν θέωρησιν. Hucusq; Philippus.

XVI. Sicuti autem diximus, religionem illam, quæ vera sit, antiquissimam esse, ita quoq; TERTIO ei competet, ut facta tecta semper conserveatur. Neq; enim vel avi & atavi tantum nostri, aut illi, qui deducta ulterius genealogiâ nos antecesserunt, illius indigi fuerunt, sed indigemus quoq; & nos & quoscumq; futura complecte-

plectetur ætas. Si dicas, potuisse tamen nonnulla annecti, quæ illam magis declararent & illustriorem redderent: respondeo cum Cl. Calixto; quanquam successu temporum major aliqua lux & perspicuitas potuit accedere, ipsa tamen essentia, ut sic dicam, religionis, & fundamentale medium consequendæ salutis mutari non debuit. Cur quæso? Mutaretur enim, ait, aut quia ipsum insufficientis, aut quia Deus mutasset: quorum neutrum dici potest. Itaque ergo nullis temporibus ipsam ex animis hominum penitus deleri aut excindi oportet.

XVII. QUARTO vera revelatio (nam vocabulis, revelationis, religionis, cultus divini, promiscuè nunc utemur) effectu non carebit suo. Exuet enim plerisque; sibi addictorum ferocitatem, livorem, impietatem: contra autem reddet conspicuos modestiã, temperantiam, moderationem animi, ac omni genere virtutis ac laudis. Breviter maximum malum putabunt, non innopiam, aut ignobilitatem, nuditatem, vincula, opprobrium, inveniendam corporis habitudinem, aut ægram constitutionem illius; sed vitia, tanquam excutientia, gratiam Dei, & quæ quàm proxime adhuc accedunt. Summum bonum illis erit, intaminatam gessisse mentem, servisse Deo, anhelasse coelestia, & ad nutum optimi illius ac sanctissimi patris sterisse. Reliqua vel externa vel corporis si habebunt, ad proximi commodum ordinabunt; si defuerint, cavebunt nequerant vel cum minimo dispendio salutis. Prolixus illis questus erit pietas cum sufficientiã. Hæc & similia quo clariora & illustriora in cujuscunq; religionis professoribus conspicientur, ita ut non tantum ore id profiteantur & alijs commendent, verum etiam ipsi studeant in vitã exprimere, non leve testimonium perhibebunt, hanc vel illam puriorem & meliorem reliquis esse.

XVIII. Nec dubium est paganos manifesto hac in parte argui posse, cum plerique humanitatem omnem ita abjecerint, imo ejuraverint, ut pecudum more promiscuam libidinem exercerent, quod de Scythis Nomadibus testatur Strabo *lib. VII. de Scythis* Gala & ophagis Stobæuse. 5. de Hyrcanis Plutarchus *in lib. de fortuna Alexandri* de Ichthyophagis Diodorus Siculus *lib. IV. Bibliothecæ* 3. de Massageris Laërtius *in Pyrrhone*. de Trogloditis idem Diodor.

dor. eodem lib. & cap. de quibusdam superioris Lybiæ populis Aristoteles lib. II. pol. c. 3. Nonnulli aliorum bonis ita infidiabantur, ut non tantum licitum verum etiam gloriosum ducerent, aliorum fines ingredi, atq; latrocinio exhaurire. Ita enim de Thracibus Sidonius :

Rapto ditata juvenens

Fura colit gladij, consummatamq; senectam

Non ferro finire pudet. Tali ordine vite

Cives Martis agunt.

Et Livius lib. XXXVIII. c. 46. Latrunculos appellat Thracas. Idem lib. XLII. c. 52. ferocissimos gentium eos vocat, quo etiam sine dubio respexit Mela lib. II. c. 2 quando inquit: *quidam illorum feræ sunt.* Apertius de ijs Herodotus lib. VI. *rapto vivere decorum imprimis Thracibus.* Hanc illorum barbariem taxat Euripides in *Hecubâ.* *Τὰχ' ἐν παρ' ὑμῶν ῥάδιον ἔχειτο τοῦτον*

Jugulare forsitan hospitem vobis leve est,

& Virgilius:

Hæc fuge crudeles terras, fuge litus avarum.

Possunt quoq; huc referri proverbialia ista: *θεῖνα ἀπὸ πέπεως, Thracium commentam sive inventum, & θεῖνες ὄφθαλμοι τῶν Ἰταλιανῶν.* Thracæ fœdera non norant. De quibus Erasmus Adag. chil. I. cent. 10. n. 28. & chiliad. II. cent. 6. n. 89. Nec Thracæ tantum id faciebant, verum etiam Phocenses: *Studiosus enim,* inquit Justinus, *mare quam terras exercere, piscando, mercando; plerumq; etiam latrocinio maris, quod illis temporibus gloriæ habebatur, vitam tolerabant.* Tum Hispani quondam, ut Plutarchus in Mario, & Dalmatæ, ut Florus lib. IV. c. ult. & Germani, ut Tacitus in libello de nostra gente scriptum reliquerunt. De Germanis Cæsaris verba hæc sunt lib. VI. bell. gall. *Latrocinia nullam habent infamiam, quæ extræ fines cujusq; civitatis sunt, atq; ea juvenis exercendæ & desidiæ minuendæ causâ fieri prædicant.* Sed nec Græci, qui tamen cultis moribus nulli populorum cedere volebant, ab hoc crimine fuerunt immunes, de quibus & multis alijs illustris est locus apud Thucydidem lib. I. qui ita habet: *Olim quippe Græci non minus quàm barbari, tum qui in continente, tum qui per insulas vivebant, postquam sepius alijs ad alijs navibus transire cœperunt, ad latrocinandum se contulerunt.*

runt, ad quam rem viri illustres duces, ipsis erant; partim quæstus sui
 causâ; partim ut victum suppeditarent egentibus: adortiq; civitates
 manibus carentes, aut per vicos sparsas, diripiabant eas, maximamq;
 partem hinc se alebant, nondum infami co vitæ genere, quin & nonni-
 bil habente gloriæ. Manifestum id faciunt etiamnũ quidam continen-
 tis terræ habitatores, qui pro decore habent, strenuè id facere, & ve-
 ruti Poëtarum, apud quos frequentes sunt interrogationes ad navi-
 gantium obvios, an prædones essent? nimirum quod nec defugituri id
 nomen illi essent, qui interrogabantur, nec exprobraturi hi qui inter-
 rogarent. In ipsa quin etiam terra continente spoliabant alij alios,
 & nunc quoq; magna portio Græcorum sic vivit, apud Lecros & Polas,
 apud Ætholos, apud Acarnanas & vicina terrarum. Hæc Thucydi-
 des de Græcis, quibus ut in *μολαρχία*, ita etiam hac in parte suc-
 cessere Romani. Nam horum, Petronio teste,

*Si quis sinus abditus ultra,
 Si qua foret tellus, fulvum que mitteret aurum,
 Hostis eret.*

At hoc modo belligerare est latrocinari, tantum hoc differunt,
 quod *πλοῦται* in speciem meliore res per se turpes defendantur:
 quam tamen larvam optime interdum detegunt Romanarum re-
 rum scriptores docentes, Romanos, ut quidam ait, *defendendis so-
 cijs orbem terrarum subegisse*. Quid multa? annon pontus Euxinus
 propter hanc circumjacentium regionum summam & intolerabi-
 lem scævitiã *ἄξευ* sive inhospitalis quondam est dictus? qua
 de re, si lubet, vide Melam *lib. I. c. 19*. Strabonem *lib. II. & VII*. Pli-
 nium *lib. VI. c. 1*.

XIX. Ut omittam alia truculentia & immanitatis exempla,
 quorum abunde est in profanis Historiis, quis ad macerationes ho-
 minum apud gentes olim usitatissimas non exhorresceret? Ita
 Erichæus Atheniensium rex, cum bellum inferret Eamolpo, id re-
 sponsi ab oraculo retulit, se victorem fore, si filium diis immolaret,
 quod etiam fecit, ut Euripides in *Erich.* & Plutarchus *c. 40. Parall.*
 narrant. Apud Antropophagos, inquit Mela *lib. II. ipse etiam epule
 visceribus humani apparantur*. De Thracibus quidem id negare
 videtur Isidorus Hispalensis *Orig. lib. IX. c. 2*, quando ait: *Multa
 de iis*

de iis fabulosa memorantur, quod captivos suos Diis litarent, & huma-
num sanguinem in ossibus capitum portare soliti sunt. At aperte Hero-
dotus lib. IV. & Eusebius. Idem de Gallis narrant multi, præcipuè
Cæsar VI. comment. de bello Gall. Natio, inquit, Gallorum admo-
dum dedita religionibus, atq; eam ob causam, qui sunt affecti gravio-
ribus morbis, quiq; in prælii periculis, versantur. aut pro victimis ho-
mines immolant, aut se immolaturos vovent, administrisq; adea sacri-
ficia Druidibus utuntur, quod pro vitâ hominû nisi vitâ hominû redda-
tur non posse deorum immortalium numen placari arbitrantur, &c.
Possem idem de Messeniis, Pellæis, Lyctiis in Cretâ, Lesbijis item &
Phocensibus, Arcadibus, Phœnicibus, nec non de Britannis, Scythis,
Francis, Gothis, Rugianis, Danis, Normannis, Sclavis, Mexicanis lu-
culenter ostendere, nisi ex variis authoribus jam antè diligenter illa
omnia congestissent Hugo Grotius, & Calixtus. Hoc itaq; si
commodum est, vide, & hunc quidem iu *Epitome Theologiae mora-
lî*, hunc veto in notis libello suo de veritate relig. Christian. addi-
tis pag. 245. Unum tamen locum non possum præterire, in quo
de origine horum nefandorum sacrorum differitur. Invenies il-
lum apud Casparum Peucerum in nunquam non laudando ipsius
de divinatione commentario pag. 207. *Mactationes hominum per-
vetusta sunt. Nam & antè Trojana tempora, & non à solû Ethnicis,
sed & populo Dei humano sanguine litatum constat, in quo, qui filios
filiasq; exurerent in valle Gehennom in gratiam & cultum idoli Mo-
loch, fuerunt plurimi. Agamemnon Iphigeniam, filiam mactavit in
Aulide, & exempla similia leguntur passim in Historiâ. Teucer Jovi
hostiam humanam immolavit apud Salaminem Cypri, & hunc sacrifi-
candi morem posteris tradidit, quem Hadrianus Imperator tandem
sustulit. In Latîo Saturnus eodem sacrificii genere cultus est, non qui-
dem ut homo ad aram immolaretur, sed ut in Tyberim de ponte Milvio
mitteretur, quod expresso quodam factitatum esse Varro author est,
cujus postremus versus talis est, $\kappa\alpha\iota \ \kappa\epsilon\ \Phi\alpha\lambda\alpha\varsigma \ \kappa\epsilon\ \omicron\upsilon\delta\eta \ \kappa\epsilon\ \gamma\tau\omega \ \mu\epsilon\ \tau\epsilon\tau\epsilon\ \Phi\omega\tau\omega$.
*Quod quia videretur ambiguum, & sax illi, & homo
jaci solitus est. Verum hoc sacrificii genus ab Hercule ex Hispaniâ re-
verso dicitur esse abrogatum, ritu permanente, ut pro veris homini-
bus jacerentur imagines ex scirpo. Hæc Peucqrts. Bene autem
addit:**

addit: Sed has Deus blasphemiae vindex cum instauratore ipso mox, priusquam denud vel noticia illarum aliqua inolevisset, vel per vulgatus esset usus, compressas prorsus ex hominum memoria sustulit, ita ut post Julianum non repullularint unquam. Scilicet ad tantam barbariem eradicandam non humana sapientia, non praecepta prudentium, non vel Draconis leges sufficiebant, sed opus erat vi penetrantiore & fortiore, quae rebelles animos & adamantina corda, molliret & frangeret, qualem cum adhuc habeat religio nostra, maxime autem habuerit in primis post servatorem natum seculis, tibi totus orbis virtute & sanctitate est repletus, non sinit confidenter admodum esse dubium de paganissimi falsitate, & sui veritate.

XX. Idem astruitur ex antiquitate, qua Christiana Idololatriam antevertit. Superbit quidem Graecia Cadmo, Pandionis filio Milesio, Acusilao Argivo, Eumelo, Archilochi, Theagene Rhegino, ut & Aristea Proconesso, Hecataeo Milesio, Hellanico, Charonte Lamiaceno, & Pherecyde Lerio, sed nulum nominare possunt gentis suae Historicum, qui non quingentis, & amplius annis recentior sit bello Trojano. Et quamvis Manethos, Berofus & Sanchoniathon, quorum ille Aegyptiorum, alter Babyloniorum, tertius Phenicum historiam conscripsere, Graecis hac in parte palmam praeripiant, tamen ad antiquitatem librorum Mosis non accedunt. Et quidni illi Mosis cederent cum ipse *Ζεύς ὑψίστος ὁ ἰσχυρὸς ὁ ἀθάνατος ὁ ἀόρατος ὁ ἀφανής* vocetur, secundum propriam Graecorum confessionem à Cecrope Athenarum rege, qui circa annum mundi M. M. CCCC. vixit, & Mosén coaequalem habuit, in numerum divorum primum relatus esse perhibeatur. At dicis Serapis tamen & Isis Aegyptiorum idola Jovi, & ceteris gentium dijs multo antiquiores sunt? Ita est, sed tamen ultra Elavi & Jacobi aetatem, qui ad annum ab orbe condito bis M. C. ponuntur, non ascendunt, id quod series temporum accuratius te docebit.

XXI. Hic illud effugium impij quaerunt, potuisse scilicet ea, quae Moses posteritati reliquit, ab ipso fingi, quemadmodum Poetae in multis rebus ingeniosè luserunt. Imo, non gesta sunt haec ab obscuris authoribus, sed in summâ luce, spectantibus vicinis re-

ais regibus Babylonicis, Assyrijs & deinde Macedonum posteris, quibus accedunt non paucorum alienorum à Judaica religione testimonia, quæ ostendunt, vetustissimam apud omnes gentes famam ita habuisse, ut Mosis scripta prædicant. Collegerunt illa tum ex patribus nonnulli, tum ex recentioribus multi doctissimi viri, Grotius quoque libro primo de veritat. relig. Christian. hoc argumentum tractant, unde nos pauca tantum excerpemus, cum ibi, & in notis hæc uberius, qui volet, legere possit. Nam quæ ille, ait, de mundi origine scripta reliquit, eadem ferme erant & in antiquissimis Phœnicum historiis, quas à Sanchuniathone collectas vertit Philo Byblius: partim & apud Indos & Ægyptios: unde apud Linum, Hesiodum, & Græcorum plures chaos, ab alii ovi nomine significatum, & animantium, & postremo homini, & quidem ad divinam effigiem exstructio; & in animantia cætera dominium homini datum: quæ passim apud plurimos scriptores, ac postremo apud Ovidium, quæ ex Græcis ista transcripsit, invenias. Verbo Dei facta omnia, etiam Epipharmo & Platonicis proditur, & ante eos scriptori antiquissimo, (Orpheo scilicet) & post pauca: Unum esse summum Deum, rerum omnium causam, consensu gentium traditum asseverat maximus Tyrius. Et intra septem dies peracti operis memoria servata non apud Græcos tantum & Italos honore diei septimi, quod ex Josepho, Philone, Tibullo, Clemente Alexandrino, & Luciano discimus, (nam de Hebræis notissimum est) sed & apud Celtas & Indos, quibus omnibus per hebdomadas digesta tempora, quod nos docent Philostratus, Dion Cassius, Justinus Martyr, & vetustissima dierum nomina. Primam hominis vitam cum simplicitate fuisse, & nudo corpore docebant & Ægyptij, unde aurea Poetarum ætas, etiam Indis celebrata, ut apud Strabonem est. Adami, Eve, arborum, serpentis Historiam apud Indos Idolatras suo tempore existisse notavit Maimonides, eademq; apud Peguenses & Calaminisenses paganos eisdem India populos repertam, apud Brachmanas Adami quoq; nomen, apud Siamenses ab orbe condito ad sex annorum millia putari, nostri quoq; seculi testes perhibent. Eorum, qui primos homines secuti sunt, vitam ad mille ferme annos durasse, Berosus in Chaldaicis, Manethos in Ægyptiacis, Hieronymus in Phœnicis, Hestius, Hecateus, Hellenicus in Græcis prodiderunt:

runt: & inter Poetas Hesiodus, quod eo minus incredibile, quando & majora multò olim fuisse hominum corpora nudatis sepulchrò compertum, plurimarum gentium historie prodiderunt: ac nominatim Græcorum Pausanias & Philostratus, Romanorum Plinius &c. Hæc Grotius. Ex quibus apparet, multas narrationes aliarum gentium suffragari doctrinæ Mosis. Tantum itaq; abest ut commentitia sit, ut potius propter summam antiquitatem, dum exordia mundi & tempora certo distincta numero annorum, origines gentium & migrationes, initia religionum & depravationes, certa serie describit, omnibus gratissima & commendatissima esse debeat. Quo nomine etiam nobis Christianis, qui Judicæ veteri innitimur, in summo & inestimabili pretio est. Ita ergo patet antiquitatem pro doctrina nostræ religionis militare.

XXII. Eadem habet prerogativam in eo, quod pura & incorrupta à majoribus nostris ad nos sit propagata. Sanè ratio colendi Deos, quam Ethnici sequebantur, aut tota concidit & evanuit, aut certè interpolata & immutata ad nonnullas barbararum & extimarum gentium concessit. Quis hodiè cœlo Jovem, mari Neptunum, abditissimis terræ claustris Plutonem præfectum esse asseverat? Quis potestatem illorum cum priscais rursus ita dividit, ut Jovis ministros esse statuatur Saturnum, Cybilen, Mercurium, Apollinem, Martem, Junonem, Minervam, Venerem, Dianam: Neptuni vero Nereum, & Nymphas Napejas, Agapeasq; Hæc omnia & quæ hujus generis infinita alia afferri possent, cum ipsis oraculis jamdudum interierunt. At Ecclesia sonat unam & eandem vocem, à primis parentibus derivatam, & certis per Deum ad hanc rem delectis hominibus redintegratam. Adversus hanc non diuturnitas temporis, non rerum humanarum & omnium imperiorum mutationes, vastationes, clades; imo nec calamitates earum regionum, in quibus Ecclesia latitabat, facere quicquam unquam potuerunt. Deus itaq; irritam fecit spem Imperatorum, cogitantium stabilire & amplificare suâ sacra: contra autem perrenare voluit cultum nostrum, frustra frementibus potentissimis adversarijs. Hoc ipsum quilibet piâ mente consideret, nec dubitet, quin Deus de his ad salutem obtinendam necessarijs medijs populo suo, usq; ad extremam mundi senectam sit prospecturus.

C

XXIII. Po-

XXIII. Postremo immunis quoque est religio nostra à falso omni, absurdo, & turpi, quæ abesse debere à vera religione supra dicebamus. Docet Deum ut mentem purissimam purâ mentecolendum, jubet ut ipsi morigeri simus non formidine poenæ, sed quia & deceat & par sit iussis, omniscij, ac monitis amantissimi ac beneficentissimi nos submittere. Exigit summum erga proximum amorem, cum conveniat, ut alijs præstemus, quæ velimus nobis ipsis fieri. Eadem circa conjunctionem maris & foeminae, circa usum bonorum temporalium, circa jus-jurandum ita versatur, ut nihil rectius excogitari possit. Summa, in illis scriptis, è quibus nostram haurimus doctrinam, reconditi sunt thesauri omnis scientiæ & sapientiæ. Nihil ibi frivolum, nihil ludicrum, nihil indecorum; omnia castissima & divinæ convenientissima majestati. Quod si quædam videbuntur captum tuum excedere, fac memor sis imbecillitatis humanæ, quod sapientiam Dei non assequaris; quod amplitudinem divinorum pectore tuo non capias; quod ad arcana Dei cœcutias, ut noctua ad lumen solis, quod malitia tua velut pondus trahat te à Deo quod divinâ ex humanâ mensura, sapientiam è tua ipsius, hoc est, ex parvâ & parvâ metiaris. Hæc & similia si in mentem tibi venerint, Deus auxilio suo tibi non desit, nec amplius hæsitabis, sed omnia pro verissimis habebis. Quod de Theologiâ Ethnicorum dici non potest, ut nunc breviter ostendam. Primum ipsa Deorum multitudo, quam late deduxerunt Johannes Boëcatus, Georgius Pictorius, Julianus Amelius, Georgius Gyraldus, Johannes Rosinus, & ad eum Thomas Demsterus à Muresk, nullo pacto potest subsistere. Cum enim Deus nihil aliud sit, quam prima rerum omnium causa, non potest talis nisi una in univèrsum rectè statui. Unde etiam nonnulli Philosophorum, etsi communem illam opinionem sacrificando & Veneri, & Marti &c. approbarent, uni Deo tamen interdum omnia adscribunt. Ita Orpheus ait:

εἰς θεὸς ἐν πάνθεσιν

Et Sibylla apud Lactantium lib. 1. divin. instit. c. 6.

Εἰς θεὸς ὅς μόνῳ ὄντι ὑπερμεγέτης ἀγένητῳ

Et Homerus: *Εἰς κρίσαν ἔστιν*

Εἰς βασιλεύς.

Et

Et Sophocles: Εἰς ταῖς ἀληθείαισιν, εἰς ἐστὶν Θεός,
Ὁς ἔργον τ' ἔτευξε καὶ γαῖαν κραιπρὰν
Πόντε τε καὶ ἄπὸν οἴημα κανέμων, βίαις.

Ex Philosophis Plato Deum describens ait: Θεὸς δὲ ζῶν ἀθά-
νατον, ἀσπαρῆς πρὸς εὐδαιμονίαν, ἐστὶ ἀίδιτος, τῆς τ' ἀραδῆς
φύσεως ἀίτια. Tam firmiter autem hoc statuebat Plato, ut lite-
ras serio scriptas à Deo, cæteras autem à Diis auspicaretur, quemad-
modum prodidit Theodoretus *de curandis Græcorum affectionibus*
sermon. II. Sed in re manifesta testimoniorum satis, forte etiam
nimium. Illud quoq; absurdum, quod fraudes, furta, adulteria, in-
cestus, jurgia, & alia enormia vitia Diis adscriberent. In quo ite-
rum reprehensi sunt à doctissimis suorum, ut superiori disputatio-
ne docuimus, quibus junge Plutarchum *in vitâ Romuli* & Euripi-
dem *Jone*. Recte autem Athanasius *oratione contra gentes* de poë-
tis præcipuis horum authoribus scribit, quod melius fecissent, si
simpliciter Deos suos recensuissent, nullâ facta mentione facino-
rum, cum nunc non solum non de numinibus, aut castis quibusdam
hominibus verba facere, sed de turpibus longè, ab honestate remotis,
fabulas referre videantur.

XXIV. Nec minorem absurditatem sapit, quod originis suæ im-
memores & mentis, quâ homines sumus, quâ cæteris animantibus
præstamus, quâ angelis Deoq; judicamur similes, ad animantium
& brutorum cultum sunt delapsi. Herodotus de Thebanis *lib. II.*
Thebani arietes, quos sacrosanctos habent, non mactant. De Syris
Cicero *lib. III. de nat. Deor. Piscem Syri venerantur.* Egyptum
vero totam hic delirasse quisignotat? Philo *in legatione: Canes,*
leones, lupos, crocodilos, aliâq; terrestria, aquatica, volucra ani-
mantium pro diû habent, quod de Lupo dicit hoc in specie quoque
Diodorus Siculus *lib. I.* nobis reliquit scribens eos venerari se *es*
ichneumonas, canes, accipitres, ibides, lupos, Crocodilos & alia nonnulla.
Et Plutarchus *lib. de iside & Osoride. Soli omnium Ægyptiorum Ly-*
copolite ovem edunt, quia idem λύκος sive Lupus, quem pro Deo
habent, facit. Hanc Ægyptiorum insaniam notissimam gen-
tibus fuisse, Juvenalis Satyra X. docet: Versus ipsius hi sunt:

*Quis nescit, Volusi Birbynice, qualia demens
 Egyptus portenta colat? Crocodilon adorac
 Pars hac, illa pavet saturam serpencibus ibin.
 Effigies sacri nitet aurea Cercopithecii,
 Dimidio magica resonant ubi Memnone chorde,
 Atq; vetus Thebe centum jacet obruta portis.
 Illic aluros, hic piscem fluminis, illic
 Oppida tota canam venerantur, nulla Dianam:
 Porrum & caepe nefas violare ac frangere morsu.
 O Sanctas gentes, quibus hac nascuntur in hortis
 Numina, lanaris animalibus abstinet omnis
 Mensa, nefas illic foetum jugulare capella,
 Carnibus humanis vesci licet.*

Ita Juvenalis, cujus de caepe confirmat illud Plinij è lib. XIX. hi-
 storiae naturalis c. 6. Allium capaeq; inter Deos in jure jurando habet
 Egyptus. Ejusdem libri capite precedente de raphano ait, quod
 Egypto mirè celebretur propter olei fertilitatem, quod è semine ejus
 faciant. Sed & apud Lithuanos olim viperæ atq; serpentes divinita-
 tis non exfortes esse credebantur, libabant illis lac & gallos galli-
 naceos immolabant, uti Cromerus observat lib. XV. Guagninus
 quoq; in descriptione Lituaniae notat complures Samogitarum a-
 grestium serpentes tanquam penates venerati, & summam curam
 impendere, ut benè saturati in loca sua se recipiant.

XXV. Sed Romanos tamen, Martium non minus populum
 quam religiosum à talibus nugis abstinuisse dicis; Profectò hanc
 laudem illis non inviderem, si inter tot ac tantas belli ac pacis ar-
 tes, quibus domi forisq; claruerunt, etiam ea, quæ ad Deos spe-
 ctant, ritè hoc est citra dedecus & turpitudinem administrassent.
 Verum aliter sese res habet, cum historicorum monumenta te-
 stentur, etiam impios & sceleratos homines *δορθεώσεσι* dignatos
 esse. Sic Lactantius lib. I. instit. divin. c. 20. Lupam propter vul-
 gati corporis vilitatem sic dictam, divinis honoribus affectam ait.
Nec hanc solam (verba sunt Lactantij,) *Romani meretricem colunt,*
sed Faulam quoq; quam Herculis Scottum fuisse Varro scribit, mox
tertiam

tertiam nominat: *Flora*, ait, cum magnas opes ex arte meretricia
quaesivisset, populum Romanum scripsit heredem, certam pecuniam
reliquit, cujus ex annuo fœnore suis natalis dies celebraretur, editio-
ne ludorum, quos appellant *Floralia*, deinde ritus describit satis
obscenos. Celebrantur ergo illi ludi cum omni lascivia, convenien-
tes memoria meretrici. Nam præter verborum licentiam, quibus
obscœnitas omnis effunditur, exuuntur etiam vestibus populo flagi-
tante meretrices, quæ tunc, mimorum funguntur officio, & in conste-
ctu populi usq; ad satietatem impudicorum luminum pudendis moti-
bus detinentur. Pari impudentiâ *Lupercalia* & *Bacchanalia* cele-
brabantur. In illis, ut *Livius lib. I. c. 5.* offendit, usitatum erat, sicut
nudi juvenes *Lycæum* *Pana* venerantes, per luxum atq; lasciviam
currerent. De his *Valerius Maximus lib. I. c. III.* *Bacchanalium*
sacrorum mos novus institutus, cum ad pernitiosam insaniam iretur,
sublatus est, *Augustinus lib. XVIII. de civit. Dei, c. 13.* Aliqui sanè
victum scribant istum *Liberum* & *vinctum*: nonnulli & *occisum* in-
pugnâ à *Perseo*, nec ubi fuerit sepultus tacent, & *ramen* ejus velut *Dei*
nomine, per immundos demones *Bacchanalia* sacra, vel potius sacri-
legia sunt instituta, de quorum rabiosa turpitudine post tam multos
annos sic senatus erubuit, ut in urbe *Româ* esse prohiberent. *Hispala*
Fecinia apud *Livium lib. XXXIX. c. 10.* illud sacrarium *corruptela-*
rum omnis generis officinam appellat. Eadem capite 13. plenius co-
ram consule de iis disserit, referens, *Pacillum Miniam Campanam*
Sacerdotem in his omnia tanquam Deum monitu immutasse. Ex quo,
inquit, in promiscuo sacra sint, & permisti viri fœminis, & noctis li-
centia accesserit: nihil ibi facinorû, nihil flagitij prætermisum.
Refert & alia, quæ ut hic ponantur, pudor tæus vetat.

XXVI. Porro Græci in eadem stultitiâ, nequid amplius dicam
consenuere. Et Athenienses quidem narrante *Lactantio dicto*
libro I. & capite, meretrici cuidam, nomine *Leanæ*, cum *Tyran-*
num occidisset, quia nefas erat simulacrum meretricis constitui in
templo, tale monumentum fecerunt, ut animalis effigiem pone-
rent, cujus nomen gerebat. Idem pro Diis habuerunt contume-
liam & Impudentiam. Unde proverbium *Θεός η̄ ἀναιδέα*, *Dea*
Impudentia, quod explicat *Erasmus in Adagijs Chiliade*

III centur. I. n. 63. additq; autores idem docentes, Theophrastum
lib. de legibus, Istrum lib. XIV. & M. Tullium lib. de legibus II. De
Lacedæmonijs tradit Plutarchus in Cleomene, eos non tantum ti-
moris, verum etiam risus atq; aliarum affectuum templa ædifi-
casse. In Peloponeso verò Corinthus in fano Veneris plures quam
mille sacrorum ministros alebat, ut videre est apud Strabonem lib. 8.
Geographia. Unde nata hæc proverbialia: & πᾶσις ἀνδρῶς ἐς κέρει-
ον εἶσι ὁπλῆς; quod Horatius libro primo Epist. 10. sic expressit:

Non cuivis homini contingit adire Corinthum.

Item Corinthia videri & illud Κορινθία ἱερῶν Corinthiari, pro
ijs, qui scortationibus ac lustris indulgerent. Obiter id quoq; mo-
neó, quamvis ab instituto nostro non profus alienum sit, eodem
modo Venerem ab alijs gentibus placatam esse. Vide de Heliopo-
litis Cassiodorum lib. Histor. I. c. 9. & lib. VI. c. 12. de Cypris Justi-
num lib. XVIII. & Lactantium lib. I. c. 17. qui etiam addit Vene-
rem ipsam hoc suavisse, ne sola præter alias mulieres impudica & vi-
rorum appetens videretur de Phocensibus Augustinum lib. IV. de
civit. Dei. c. 10. & Eusebium lib. III. de vitâ Constantini, de Locrensi-
bus Justianum lib. XXI. de Babylonijs Herodotum lib. I. de Nasa-
monibus Polidorum Virgilium lib. V. c. 8. de inventione rerum.

Tantum religio potuit suadere malorum

Quæ peperit sæpe scelerosa arg. impia facta.

XXVII. Cæterum si ad Religionem Christianam propius acce-
damus, nova hic sese pandunt argumenta, quæ probabilitatem illi
non parvam conciliant. Primum in ipso Jesu Christo, cujus asse-
clas nos confitemur, occurrunt quædam notatu dignissima. Ha-
buit prænuntios multos sanctissimosq; de adventu suo viros, imo
Sidus quoddam inusitatum & stupendum, in Oriente apparens,
sapientissimos Persarum non tantum adeo percelluit, ut in signe,
& totum genus humanum concernens negotium, hoc ipso Deum
portendere humiliter agnoscerent, verum etiam eosdem, motum
ipsius per longam & difficilem viam sequentes, ad domum, in qua
Servator natus est, felicibus auspicijs deduxit. De hoc sidere non
tantum certiores nos reddunt nostra scripta, verum etiam acta
publica, quæ olim exstiterunt, in quæ ipsi Ethnici referebant, quic-
quid

quid memoratu dignum esset. Meminit quoq; ejusdem Phlegeton Trallianus Hadriani libertus: Sed illa injuria temporum perierunt. Quare nunc Chalcidii Platonici idem confirmantis verba, è commentario suo in Thimaum hic legantur: Est quoq; ait, alia sanctior & venerabilior historia, quæ perhibet ortu stellæ cujusdam, non morbos morteq; denuntiatis, sed descensum Dei venerabilis ad humana conservationis, rerumq; mortalium gratiam. Quam stellam cum nocturno itinere inspexissent, Chaldaeorum perfecto sapientes viri, & consideratione rerum caelestium satis exercitati, quæsisse dicuntur recentem ortum Dei, repertaq; illa majestatis puerili veneratos esse, & vota Deo tanto convenientia nuncupasse. Hæc ille. Eadem nocte quâ hæc facta sunt, pastoribus pecora sua pascentibus hunc natalem cum maximo tripudio annuntiarunt Angeli Dei, & Pastores postquam rem omnem, uti prædictum erat, cognovissent, non desiterunt hæc divulgare, sed nota fecerunt magnalia Dei, uti hæc ubertius leguntur apud Lucam c. 2. Taceo quod ipse Diabolus consueto more responsa dare post adventum ipsius intermisit, causam hujus silentij rejiciens in puerum Hebræum recens natum, de quo hi leguntur versus, quos Augusto sciscitanti Pythias reddit

Παῖς ἐβραῖν' ὁ κέλεται με θεοῖς κενάρεσσιν ἀνάστων
 Τὸν δὲ δόμον περιλιπεῖν καὶ αἰδῆν αὐτῆς ἰκεῖσθαι
 Λοῖπον ἀπιθι σιγῶν ἐκ βάρμων ἡμστερείων.

Jam vero cum adolefceret Servator noster, statim singulares ingenij plusquam humani testificationes dedit, doctissimis enim responsionibus & interrogationibus duodecimo anno ætatis exercuit Magistros in templo, ut percellerentur omnes, qui eum audiebant, super intelligentia & responsis ejus. Vide rursus Lucam c. hoc secundo. Idem non tantum privatim, sed maxime publice, cæcis visum, claudis & leprosis sanitatem, mortuis vitam restituit, atq; ideo talibus operibus, qualia facta esse ipsi Judæi in Thalmude suo negare non audent, doctrinam suam confirmavit, ut quotidie spectatores in stuporem daret. Non inficias ibo, interdum quamvis rarissime etiam ab Ethnicis quædam conspicua esse, ad quæ producenda sola humana industria non suffecerit, interim tamen cum vim omnipotentem, h. e. verè divinam non

desi-

desideraverint, potuerunt hæc fieri à spiritibus, inter Deum hominemq; interpositis, & ut ex effectu colligitur, malis, quibus propter naturalem celeritatem agendi, transferendi unum ad aliud combinandi diversa, applicandi agentia patientibus, proclivè fuit haud vulgaria patrare facta. At Christi miracula verè talia sunt, h. e. naturam & causarum naturalium potentiam excedunt, ut non nisi à divina virtute proficisci potuerint. Unde non tantum quas supra dixi Thalmudistæ, verum etiam ex eadem gente Josephus, vir profectò nulli prudentia & eruditione secundus *lib. XVIII. antiquitat: Judaic: c. 4.* reverenter de Christo loquitur, prædicans eum virum sapientem si tamen, inquit, *virum eum fas est dicere, eras enim mirabilium operum patratior, & doctor eorum, qui libenter verà suscipiunt.*

XXVIII. Possem memorare de Christo longè plura, quæ ostenderent traditam ab ipso Doctrinam Deo gratissimam fuisse, Exempli gratia quod ipse Pater hunc tanquam filium de coelo commendaverit, Matth. 3. v. 17. Quod ipso à Judæis crucifixo, Sol in plenilunio ecclipsin sit passâ, & velum dilaceratum; quod ruptis sepulchri claustris, tertio die à mortuis resurrexerit, quod primum mulieribus, deinde discipulis & Apostolis suis apparuerit, quod his ipsis spectantibus rursus in coelos sublatus, postea conspectus sit itare ad dextram Dei: Hæc inquam, & alia adduci possent, nisi vererer, ne quidam reperiantur, qui fidem nobis derogent, persuasi potuisse ab Apostolis crimen falsi hoc in loco committi. Verum hi considerent, nihil causæ illos habuisse cur hoc facerent. *Honorem, inquit Grotius ex mendacio sperare non poterant, cum honos omnis esset penes Paganos, aut Judæos, à quibus ipsi probris & ignominia afficiebantur: Non divitias, cum contra hæc professio sæpè & bonorum, si quæ essent, damno militaretur; Atq; ut hoc non fuisset, tamen Evangelium doceri ab ipsis non posset, nisi omni bonorum temporalium cura omissa. Neq; verd alia ulla vitæ hujus commoda, ad mentiendum movere eos potuerunt, cum ipsa Evangelij prædicatio laboribus, fami, siti, verberibus, carceribus eos objecerit. Fama duntaxat inter suos tantè non erat, ut propterea homines simplices, & quorum vita ac dogma à fastu abhorrebat, tantam malorum vim subirent: Neq; vero sperare ullo mqdo poterant tantum progressum sui dogmatis,*

dogmatū, cui & intentā commodū suū natura, & ubiq; imperantium
authoritas repugnabant, nisi ex divino promisso. Accedat quod etiam
hanc qualemcunq; famam, nullo modo durabilem sibi poterant pro-
mittere, cum Deo de industria suam in hoc consilium celante, mundi
totius exitium quasi de proximo imminens operirentur; Quod & ipso-
rum & sequentium Christianorum scripta apertissimum faciunt. Re-
stat ergo ut Religionis suae tuenda causa mentiti dicantur. Quod
omnino, si res recte expendatur, dici de illis non potest: Nam, aut Reli-
gionem illam veram ex animi sententia crediderunt aut non credi-
derunt: Si non credidissent veram, imò si non credidissent optimam:
nunquam hanc elegerunt, omisissis religionibus aliis magis tutis, magisq;
honoratis: Imo quamvis veram, professi non essent, nisi & professionem
ejus credidissent necessariam, praesertim cum & facile providere pos-
sent, & experimento statim discerent, hanc professionem post se tra-
here mortem immensi agminis, cui sine justa causa causam dare à la-
trocinijs scelere non abscedebat. Quod si crediderunt religionem suam
veram, imò & optimam, & profitendam omnino, & quidem post magis-
tri sui mortem; sanè id fieri non potuit, si sefellisset eos magistri sui
de sua resurrectione pollicitatio. Nam id cuius sano homini satis fuis-
set ad excutiendam etiam ante conceptam fidem. Rursum religio o-
mnis praesertim vero Christiana, mendacium ac falsum testimonium
maximè in divinis rebus prohibet. Non potuerunt ergo religionis, &
quidem talis amore, ad mendacium permoveri. Adde jam, quod viri
fuerunt vitæ ne ab adversariis quidem culpata, & quibus nihil obji-
citur praeter solam simplicitatem, cuius ingenium à confingendo men-
dacio longissimè abest. Nemo etiā eorum fuit, qui non gravissima quæq;
passus sit propter illam professionem de Jesu resuscitato; multi etiam
ipsorum, morte exquisitissima ob id testimonium affecti sunt. Jam vero
ut quis sensus sui compos talia toleret, ob conceptam animo opinionem
fieri potest; at ut ob falsum, quod falsum esse novit, tam durato pati ve-
lit, non unus aliquis, sed plures, quorum ad falsum credi nihil inter sit,
res est planè incredibilis. Amentes autem eos non fuisse & vita &
scripta satis testantur. Hoc modo Grotius, cujus verbis quamvis
uberioribus quod nostram sententiam explanaverimus merito
suo fecimus, neq; quisquam spero id nobis vitio dabit. Possumus

D

autem

antem ex dictis sic concludere. Cum Christus tot ac tantis bonis, quorum supra mentionem fecimus, coruscaverit, non posse sine nota temeritatis aut imprudentiæ, doctrinam ipsius contemni aut rejici.

XXIX. Rursus admonendum infideles ut eam non averferentur, non leve pondus habere debet, miranda ipsius per universum terrarum orbem facta propagatio. In palatijs magnatum regnabat Idololatria, huic addicti ad fascies admovebantur, nihil illis prius aut antiquius, quam receptam opinionem tueri, confirmare, dilatare, nihil magis cordi, quam dissentientes objugare, plectere, & e medio tollere, Nec opibus aut potentia erant destituti. Terra enim omnis ab Oceano Atlantico, usq; ad Euphratem, & à Rheno, ad Æthiopiam Lybiæq; usq; deserta, Romano Imperio comprehendebatur: hinc auri & argenti tanta copia Romam deportabatur, ut vere dicere posses, gloriam totius mundi habitasse Romam. Quid ad hæc nostri homines? Erant sine Imperio omni, nullis viribus humanis pollebant, non amicitia suæ gentis intumescabant, neq; favore Principum aliorū, sed despecti ac humiles, piscatores, figuli, textores, odium omnium iucurrebant. Sermone etiam simplici utebantur, procul aberant phalerata dicta & lenocinia verborum, tantum præcepta, promissa, minas, nuda oratione proferebant, & tamen exiguo tempore tam feliciter illis successit, ut ubiq; fere, loco Idololatriæ, unum in Jesum fidem substituerent. Certissimum enim est, Ecclesiam in Judæa coepisse, inde disseminatam esse per Samariam, Syriam, & vicinas regiones ac insulas, Cyprium, Cretam; Per Achajam, Macædoniam, & omnem Græciam, per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, Bithyniam, Italiam & ocellum ipsius Romam. Solus Paulus ab Hierosolymâ & circumjacentibus regionibus usq; ad Illyrium, implevit predicandi Evangelij Christi munus Rom. XV. v. 16. Ubi Romam venit, mansit ibi biennium totum in proprio conducto, prædicans regnum Dei, & docens ea, quæ de Domino Jesu Christo acceperat Act. 28.

XXX. Idem strenuè factitarunt ipsius *ὄντοροι* reliqui nempe Apostoli, unde Theodoretus, adversus Græcos sermone octavo, inquit, quod omnes populi illorum fruuntur laboribus non Romani tantum

tantum, & qui Romana amant Imperia, & ab ipsis reguntur, sed &
 Perse, & Scyæ, & Massagethæ & Sauromata, & Indi, & Æthiopes, &
 ut summam rem eloquar, omnes qui sunt intra oras habitabiles.
 Apud Theodoretum *historia Ecclesiastica lib. IV. c. 3.* Athanasius
 inter Christianos numerat, populos Hispaniæ, Britannia, Gallia,
 Italia, Dalmatiæ, Myria, Macedonia, Græciæ, Africa, Sardinia, Cy-
 pri, Cretæ, Pamphiliæ, Lyciæ, Isauriæ, Ægypti, Libyæ, Ponti, Cap-
 padociæ. Quid quod jam tum seculo secundo ita ausus est, scri-
 bere S. Iræneus *lib. I. cap. 3.* Neq; hæc ait, quæ in Germania sunt fun-
 data aliter credunt, aut aliter tradunt: neq; hæc quæ in Iberiis sunt,
 neq; hæc quæ in Celtis, neq; hæc quæ in Ægypto, neq; hæc quæ in Libyæ, neq;
 hæc quæ in medio mundi sunt constituta: Sed sicut Sol creatura Dei
 in universo mundo unus & idem est, sic Lumen, prædicatio veritatis
 ubiq; lucet & illuminat omnes homines, qui volunt ad agnitionem
 Veritatis pervenire. ~~Utinam so hodie~~ Clemens etiam Alexandri-
 nus V. Stromatum Christum dicit, omnibus notum Gentibus. Chry-
 lostomus Tom. V. Edit: Savit: orat: 72. Praconium verbi, univer-
 sum orbem, ubi quidem homines habitant, paucis annis occupavit,
 etiam si tabernaculorum opifices Piscatores literarum ignari, & Idio-
 ta ubiq; gentium illud divulgent. Nihil autem detrimenti vilis
 ministrorum attulit, quum prædicati verbi vni omnia præoccupet &
 impedimenta amoveat, & proprias vires demonstrer. Athanasius
 ἐν λόγῳ τοῦ τῆς ἐν ἀρθρωπῆσιν ἐν λόγῳ: Cujus unquam dogma
 unum idemq; à primis carceribus mundi usq; ad ultima terrarum eas
 vires secum pertulit, ut impressa, ubiq; sua religione Orbem univer-
 sum pervolarit. Cum vero nonnulla interjecisset ita exclamat:
 Quis hominum tantum spatij obire potuit, & ad Scythas, Æthiopes,
 Persas, Arminios, Gothosq; penetrare, & ad homines transmarinos, &
 ultra Herciniam submotos, Ægyptiosq;, & Chaldaeos invisere, & his
 quidem sibi à magia placentibus, illis vero super naturam supersti-
 tiosis, moribus locisq; efferatis, de virtute temperantiæq; verba facere,
 atq; ita fugillare Idolorum cultum, ut Dominus noster Jesus Christus
 fecit, qui non solum per discipulos ista prædicavit, sed etiam menti-
 bus audientium eam persuasionem impressit, ut non solum morum
 feritatem ubiq; abijcerent, & patrios Deos non amplius in venera-

riane haberent: sed & ipsum noscerent, & per ipsum colerent, ipsius
patrem. Hieronymus de subsecutis ad suam usq; ætatem tempo-
ribus in caput XIV. Matthei ait, se non existimare aliquam reman-
sisse gentem, qua Christi nomen ignoret, & quanquam non habuerit
predicatorem, tamen ex vicinis nationibus opinionem fidei non potest
ignorare. Augustinus de vera religione. c. 3. Per urbes atq; oppi-
da, castella, vicos, & agros etiam, villasq; privatas in tantum persua-
detur & appetitur à terrenis aversio, & in unum Deum verumq; con-
versio, ut quotidie per universum orbem humanum genus, unà pene
voce respondeat **S U R S U M** corda se habere ad Dominum. Vincen-
tius in commonitorio suo doctissimo & utilissimo ait, universitatem
(hanc illi notam legitimæ traditionis facit) nos secuturos, si hanc
unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum
confitetur Ecclesia. Ergo fateatur quod per totum terrarum orbem
Ecclesia diffusa sit.

XXXI. Quæ veteres de amplitudine hujus regni spiritualis di-
xerunt, ea ne hodie quidem desinunt vera esse. Non tantum enim
sedes patriarchales, quæ olim fuerunt, adhuc superant, sub qui-
bus innumerabilis multitudo Christianorum, etsi puritatem pri-
mariam in maximis fidei articulis non omnes eadem sollicitu-
dine custodiverint, adhæret; Verum etiam in novo orbe, uti ap-
pellant, semina ejusdem quotidie latius spargi cœperunt. Ut ita
veritas & eventus responderint huic effato Christi, quod exstat
Matth. XXIV. v. 14. *Prædicabitur istud Evangelium regi in toto ter-
rarum orbe, ut sit testimonio omnibus gentibus.* Et illi ad Colos. I.
v. 6. *Evangelium pervenit ad vos, sicut & in totum Mundum & fru-
ctum profert.* Quid igitur? *Annon, Loquor cum Paulo Rom. X.
v. 18. audierunt? imo vero in omnem terram exivit sonus eorum, & ad
ultima orbis terrarum verba eorum.* Quem statum religionis Chri-
stianæ qualis hodie in mundo est, si quis perfectius cognoscere
cupitis recurat ad apparatus Theologiæ Clarissimi Calixti. No-
bis quidem hæc breviter & tenuibus lineamentis adumbrasse,
sufficiat. Neq; enim obscure vel ex his intelligitur, tanta & tam
varia impedimenta & obstacula, quæ cursum Religionis nostræ
remorari, impedire, & omnino sistere valuissent, exilibus istis me-
dijs,

dijs, nisi virtus quædam Divina illam aut direxisset aut efficaciam suam ipsi impressisset, removeri & è medio tolli non potuisse.

XXXII. Deniq; non est nihili faciendum, quod gentiles vel nullam vel obscuram & perplexam nonnunquam etiam ridiculam, & stolidam de altera vita & præmijs ejus ac pœnis opinionem foveant, si opinio nominanda est, suspiciosa, irrisiva, & nullo fundamento subnixâ hæsitantia. Videntur quidem inquam asserere, animas superesse corporibus, easq; aliqua in loca delatum iri, hunc enim eunt fabulæ de manibus, campis Elysijs, Tartaro, apud Homerum Odyssea X. Virgilium VI. Æneid. Ovid: 2. Fast. At animo lubrico, incerto, & hinc inde fluctuante hæc prolata esse, vel hinc apparet, quod illi qui inter illos pro sapientissimis habiti sunt, ubi rem subtilius rimantur, quod dicant, non habeant. Sic Sen: Epist. LXIV. suam his in rebus incertam prodit. *Et forte ait, (si modo sapientum vera fama est, recipitq; nos locus aliquis) quem putamus perisse, præmissus est;* Parem dubitationem Cicero prodit, dum lib: V. ad famil: Epistola 16. Titum solatur: *Sapientissimè inquit, legi & audiavi nihil mali esse in morte, in qua si resideat sensus, immortalitas illa potius quam mors dicenda sit, si sit amissus nulla videri miseria debeat qua non sentiatur.* Idem admodum hæsitanter loquitur, in Oratione pro Archia: *Hæc sive à meo sensu post mortem absutura sunt, sive ut sapientissimi homines putaverunt, ad aliquam animi mei partem, pertinebunt;* Nunc quidem certè cogitatione speq; quadam delector. Qualem pietatis suæ fructum expectet Cyrus moriens, quam Xenophon lib. III. *ὁ ἄριστος ἀνδρῶν*, celebratur ut *ὁ ἀριστὸς ἀνδρῶν*, id est Caselio interprete, virum bonum quo nihil sit melius, ita bene meritum ut melius non posset, ex ejusdem Xenophonis lib: II. discitur. *Ἐν τῷ ἀσφαλεῖ ἤδη εὖ εἶμαι, ὡς μηδὲν ἄν ἐπι κερὸν παθεῖν, μήτε ἢ μετὰ τῶ θεῶν ἔρωμαι, μήτε λὺ μηδὲν ἐπι ᾧ.* Hunc metum trepidantis animi non dissimulat Hadrianus versibus illis, quas Spartianus nobis conservavit in Hadriano.

*Animula vagula, blandula,
Hospes comesq; corporis,*

D 3

Quæ

*Quae nunc abibis in loca
Pallidula, rigida, nudula?
Nec ut soles dabis jocos.*

XXXIII. Pari ambiguitate sententiam suam proponit morti vicinus Socrates. Primum ille, vel potius Plato ipfius nomine in Phaedone disputarat, si quid aliquando purè simus intellecturi, recedere oportere à corpore, atq; ipsa mente res ipsas speculari. Et tunc ait, ut apparet compotes erimus ejus quod affectamus. Cujusq; nos amatores profitemur, nempe scientia, quam videlicet morti fuerimus minimè verò cum vivimus. Nam si una cum corpore nihil purè cognosci potest, è duobus alterum erit, ut scientiam aut nunquam aut post mortem deniq; consequamur. Tunc enim anima ipsa secundum seipsam seorsim erit à corpore; prius non erit. Haëtenus, igitur in sermone non admodum est inconstans, unde etiam quasi integer vitae scelerisq; purus, migrationem, inquit, quae nunc mihi imposita est, bona spe suscipio, suscipiet etiam quisvis alius, qui existimat sibi preparatum esse animum, tanquam purificatum: Postquam autem de Pyriphlegetonte Tartaro stygiaq; Palude verba fecisset, timidius ratiocinatur, ita enim subjicit: Haec igitur eo se pacto prorsus habere, quo ego exposui, non decet virum sanae mentis asserere: Esse tamen vel haec vel talia quaedam circa animos nostros, eorumq; habitationes, quandoquidem ipse immortalis apparet, & docere mihi videtur, & dignum quasi periclitantem ita existimare. Tandem horà mortis imminente, quasi totus collabescens sic concludit: *ἀλλὰ γὰρ ἤδη ὥρα ἀπίεσαι, ἐμοὶ μὲν διαστανμένω, ὑμῖν δὲ βιωσιμῶσι, ὅποτεσι δὲ ἡμῶν ἐρχούσῃ ἐπὶ ἀμείνον πρᾶγμα ἀδελφὸν παντὶ, παλῶν ἢ τῶ θεῶ.* Tullius I. Tusculan sic vertit: Sed tempus est jam hic abire, me, ut moriar; vos, ut vitam agatis. Utrum autem sis melius Dii immortales sciunt, hominem quidem scire arbitror neminem. Tali querela & dubitatio, inquit Philippus Melanchton lib. III. Chronici sui cum memoratos Hadriani versus recitasset, est in mentibus non confirmatis luce doctrinae Christianae. Ne ergo quasi in aeterna nocte humanum genus cespitaret, opus fuit, peculiaribus & divinis quibus ἀμετάλητον redderetur testimonij. Hanc solidam, certam, sinceram, ἀξιοπιστὴν revelationem

nem sola utriusq; foederis scriptura, quam Christiani admittunt, continet. Muhammedanorum enim doctrinam planè in hunc censum non venire, Judæos vero, quamvis aliquas habere videantur, limites tamen earum quas agnoscunt vehementer excedere, & ridicula atq; absona plurima adijcere, consequens nunc est ut doceamus.

XXXIV. Antequam autem id fiat monendum est, argumenta quibus usi sumus evidentem non gignere certitudinem; evidenter enim cognoscere nihil aliud est, quam quum intellectus aliquid tam clarè & distinctè cognoscit, atq; oculus sanus lucem ipsam aut rem in clara luce collocatam. Quod si autem eo usq; autoritas Verbi Divini ex ijs illucesceret, non tantum posset intellectus humanus naturaliter ei assentiri, sed etiam non posset non assentiri. At hoc cum ipsa experientia redarguit, tum impium & hæreticum esse, tota Ecclesia Catholica clamitat, quando Pelagium idem asserentem, valedissimis rationibus refutavit & è numero fidelium ejecit. Quamvis itaq; argumenta illa, non ita evidenter quod probant demonstrent, ut quæ sensu & demonstratione percipiuntur, tamen *πίστις*, sive persuasio inde nascitur, quæ prudenti homini satis esse debet, ne in maximi momenti negotio indecoræ negligentia se dedat, aut turpi procrastinationi. Quod si fecerit, hoc est, si studiosum se præbuerit in cognoscendis fidei mysterijs, verbumq; illud animo informationis cupido legerit, audiverit, & meditatus fuerit, ille *δοξάζει ἐν δυνάμει, καὶ πνεύματι* & in qua, & non in persuasoria humana sapientia verbis præconium suum versatum, fuisse docet Apostolus 1. Cor. 11. v. 4. sentiet, ut cum Samaritanis apud Johannem c. XV. 22. dicere possint, *non amplius propter tuos sermones sive testimonium credimus ipsi enim audivimus & scimus.* Qui vero non fecerit culpam torporis & oscitantia non effugiet, neq; luce veritatis unquam perfruetur, cum ordinarius illuminationis modus nemini nisi per verbum obveniat.

XXXV. Fuit autem Mahummet ex Arabum Ismaelitarum (qui Agarenorum nomen ab Agar ancilla Saræ sortiti, scribente Sozomeno lib. VI. c. 38.) gente, Abdalæ Principis Arabum filius, Munichialensis, quæ est provincia ad mare Elammiticum in Arabia

bia Petraea. Is dissidijs Christianorum à simplicitate primævà ad rixas & mutuas altercationes recidentiam in Oriente pertusus, cum Sergius Monachus Nestorianus, Johannes Antiochenus, Arrianus, itemq; Judæus quidem Selan, & Bartha Perla, Jacobita fidelem operam hac in re ipsi navarent, ingentis & horrendæ mutationis author fuit, sparso dogmata suo, quod primum à popularibus suis, post ab Arabibus universis, gente feroce, latrocinijs dedita, legitimaq; Imperia semper detractante receptum, hincq; in vicinam Ægyptum propagatum, vi armorum ab ipsis initijs in hunc usq; diem sustentatur. Sed omnes circumstantias Historicas unius pagellæ cancellis includere non possumus; sicut nec omnes assertiones in Alcorano consignatas tam breve spatium capit; Quapropter illis contenti, harum aliquas tantum, easque fide aliena, cum in manus nostras nunquam inciderat Alcoranus, hic memorare cogimur.

XXXVI. Mosen à Deo missum concedit Azoara V. & XXI. Jesum quoq; Azoara V. & XII. hunc Messiam fatetur in lege & Prophetis promissum. Azoara XXIX. Mosis autem & discipulorum Jesu libros callido quodam consilio corruptos esse Azoara IX. Nomen enim suum in Testamento & Evangelio exstitisse Azoara XIII. nec non adventum suum à Christo prædictum esse Azoara LXXI. Etsi igitur Scripturam non rejicere videatur, tamen articulos inibi comprehensos καὶ ἀναλογίαν πίστεως non explicat. Negat enim (verba recito Lamberti Danæi è capite XCVI. quod suo in Augustini libellum de hæresibus commentatio cum alijs nonnullis adjecit) esse tres in una eademq; divina essentia personas. Sabellianum & Arrianum est. De creatione mundi & demonum natura, & propagatione, tum Manichiorum, tum Valentianorum absurda & nugatoria dogmata retinent. De septem cælis & eorum intelligentiis, eodem modo quo Valentiani & Ethnici fabulantur, in quo & Dei generalem tantum providentiam constituunt, & angelorum cultum inducunt. Azoara XXIII. & XXV. Divinam essentiam negat esse simplicissimam, sed & eam cum Anthropomorphitû corporalem fingunt, & Deo præter essentiam tribuunt animam. Itaq; semper de Deo tanquam de pluribus quibudam rebus unitû, plurali numero loquun-

loquuntur. Christum negant esse Deum, ex Arrio, sed creaturam tantum appellant, etsi magnum quidem & sanctum Propbetam eum fuisse agnoscunt cum Carpocrate. Christum negant, esse verum Dei filium, quia Deum sine uxore filium genuisse, putant cum Cerdone absurdum & ἀδύνατον, etsi ex sancto Spiritu eum conceptum concedunt. Christum neq; passum neq; crucifixum volunt: sed phantasma pro eo Judæi esse oblatum, quod illi delusi pro Christo in cruce fixerunt. Manichearum & Marcioniticum illud. Azoa. II. Legis ceremonias, imprimis Circumcisionem, delectum ciborum, & corporis, imprimis autem ani lotiones ut necessarias ad salutem retinent & observant, cum Ebionitii Azoa. XII. & XVI.

XXXVII. Quomodo etiam cum Cerinthianis aeternam beatitudinem in voluptatibus corporis collocet, ex colloquio Mahumedis cum Abdia Judæo, quod verbotenus tertio suo adversus Mahumedanam sectam libro inseruit Dionysius Carrhusianus, nunc videbimus. Primum quidem ingressu paradysum proponetur vescendum jecur piscis Albibusi, cibus ultra quam passu mirari delectabilis. Succedenti fructus arborum, potusq; defluentis paradysi. Deinde quicquid affectaverint presto erit. Abdias ait: Nonne ut comedent, sic etiam egerere oportebit? Respondit, Non. Num panes carnesq; comedent? Plane quicquid gestierint (oblectamento tantum, non fame) præter illicita, quæ nec ipsis placebunt. Quenam? R. verbi gratia, Caro suilla. Ait Abdias: Beasti me optime Mahomet. Eam siquidem & nobis Judæi & suo populo non sine causa prohibuit Deus. Dic, num etiam mulieribus in paradiso commisceantur, idq; naturaliter & qua lege? R. Si ulli oblectamenti genus deesset, minime esset plena voluptas. Quin imo quasvunque volunt & quotvunque habent; & qualiter, & ubi, & quando; & quantum, & quoties volunt, omnia ad libitum sine mora & difficultate: ita quidem quod quas fideles hic habuerunt uxores, habebant & illic. Cætera concubina erunt. Ancillarum verò non erit numerus.

XXXVIII. His illecebris veneris ut eò citius lasciva juvenus inescaretur, cōcessit quoq; πολυγαμίαν, & sivit fieri divortia privato arbitrio sine cognitione Judicij, & sine manifestâ causâ, Azoarâ VII. & IX. Hanc verò legem suam tanti facit, ut præcipiat cogendas

das esse omnes gentes, ut aut ipsi obediant, aut vivant oppressi
 servitute. Ita enim legitur in verbis excerptis ex Alcorano:
 ὅτι ὅτι ἦλθε Ἰσὼς Ἰουδαίων, ἀλλὰ Ἰσὼς δὲναί τὸν νόμον,
 καὶ τοῖς μὴ πειθομένοις αὐτῷ θάνατον ἔσται, ἢ πικρία ἢ φόβος
 δὲναί. In iisdem excerptis seditiones desertores & taxantes ali-
 quid in Alcorano, jubet interfici: εἰ τις λόγον ἀπορῆας εἴποι εἰς τὸ
 κῆρρον, παρευθὺς θανάτω τελευτήσῃ. Imo, ut antea dictum, ver-
 bis quidem aliquo modo utrumq; pactum recipiunt, re verò ipsà
 reijciunt. His enim, inquit Johannes Cotovicus, (qui Syriam &
 Palæstinam cum adjacentibus regionibus Anno cl. l. llc. lu-
 stravit, ritusq; & legem diligenter Itinerarij sui libro IV. enarravit)
 longe præferunt Alcoranum, id est articulorum seu præceptorum colle-
 ctionem, quem veritatè codicem nominant, estq; illis, velut Judæorum
 Pentateuchus, aut Christianorum Evangelium. Huic addunt & Su-
 nam. Is liber est, imò volumina multa, in quibus dicta atq; facta sunt
 Mahometis: quæ si quis legat, neminem putaverim à communi sensu
 tam remotum, qui non protinus superstitionem detestetur, adeo plera-
 que sunt ridicula. Et si vero in Sunâ nihil præter nugas & stulta fa-
 bulamenta invenias; illi tamen hæc omnia verissima putant, & tan-
 quam oraculum venerantur. Licet autem Mahometes sui hisce in li-
 bris Moysen & Prophetas cæteros commendat, Davidem etiam, ejuſq;
 Psalterium summiſſefferat laudibus, ac Christum deniq; supra omnes
 extollat Prophetas, cunctisq; viris, quos mundus tulit excellentiorem
 prædicet, nullumq; Judæos post Christum habiueros Prophetam velit,
 adeoq; & legem Moſis, & Christi Evangelium ex parte approbet, at-
 que etiam utrumq; servari præcipiat, neutrum tamen amplectendum
 sentet, quod Christianos Evangelium, Judæos legem Moſis corrupisse,
 & tantumq; in utroq; veritatè esse, quantum in Alcorano ex illis citatur
 existimet. Hæc Cotovicus de lege ipsorum, de qua cum nonnulla
 quoq; Philippus Melanthon lib. III. Chronici sui retulisset, tale ju-
 dicium tulit, quod adscribo. Quamquam, ait, politica quadam in
 lege Mahometi plausibilia sunt, sicut Daniel ait, hoc cornu oculos
 habere: tamen legem Mahometi tantum esse politicam formam, pene
 Laconicam. Interea vero deleri à Mahomete propriam Evangelij vo-
 cem de filio Dei, neq; quò sit, neq; cur missus sit rectè dicit.

XXXIX. Deploramus autem merito tum ipsorum tum Eccle-
siae vicem: illorum quidem, quod ab impio & execrando Maho-
mete seducti in plus quam Cymmerijs tenebris, & inextricabilibus
Labyrinthis versentur; hujus vero, quod tot incurfus, tot damna,
tantam lanienam ab illis sit perpessa. Quod quamvis iusto Dei,
ingratitude nostram ulciscens iudicio utriq; parti contigerit,
& adhuc contingat, tamen Germaniae nostrae in propria viscera
foevientis discordia, hic tacenda non est. Fit enim hoc pacto, ut
hostis jam tum nobis infensissimus, & à naturâ ad nos perfequen-
dos vehementer compositus, ferventior & animosior incedat, &
occasionem captet nos incautos & imparatos aggrediendi. Sane
quam libenter intestinam illam Christianorum dissensionem mu-
tuamq; odium videant, ex precibus illorum quotidianis, quibus
referente Cotovico *lib. IV. c. V. Musulmannorum salutem, Imperij
felicitatem, hostium ac praesertim Christianorum discordiam atq; ex-
cidium à Deo contendunt, satis superq; apparet. Idem innotescit ex
fabellâ vulgo notâ quam Bassarion Nicenus in oratione quadam
sic expressit: Referam, inquit, (quamvis nota sit vulgò) fabellam,
qua nuper usus dicitur Mahometes, cum ex suis quidam dissuadere ei
bellum, adversus Christianos, conaretur. Nam cum ille formidan-
dum esse diceret, ne Christiani bello irritati, tandem in unum con-
venirent, bellumq; adversus eum communi consilio & ope gererent; At
ridens, meminisse, tyrannus respondit, illius fabellae convenit; Quum
lupi aliquando magnam canum multitudinem adventare adversus se
forte intellexissent, ingensq; propterea terror eos occupasset; unus ex
ijs qui inter eos senior erat, in propinquum montem profectus, cacu-
men ejus, ut canum specularetur adventum, conscendit. Verum cum
eos multos quidem, sed diversorum colorum esse conspexisset, letus ge-
stiensq; ad suos reversus: Bono, inquit, este animo. Tanta enim est in
hostibus nostris colorum, morum, studiorumq; diversitas, ut consenti-
re unâ, ac conspirare in unum aliquem simul omnes non possint, singu-
los vero, si venerint, absorbere sine difficultate poterimus. Hæc sive
vera sint sive falsa, ostendunt tamen hominum prudentum de no-
stris tumultibus opinionem. Eodem tendit apud Camerarium
centuriâ alterâ meditation; *historic.* Imbraimus interpres Turcici*

Imperij, qui cum Busbequio Francofurti in electione Maximilianæ II. legatus fuit. Quum enim illi tres principes, Saxo, Bavarus & Juliacensis, antecedentes in equis Ferdinandum & Maximilianum Cæsares, demonstrarentur, & admoneretur, unumquemque ex illis propriis opibus & viribus esse tam potentem, ut justum exercitum contra Turcas colligere & ducere posset, aliosque esse plures similes illi in Germania, quid existimaret fore si conjunctis viribus Imperatorem Turcicum aggredierentur? Subrisisse illam ferunt, & dixisse, se facile ex numero eorum, quos presentes viderit, colligere posse & absentiam potentiam, adeoque vires Germaniæ esse immensas: Sed sibi videre Germanorum animos, similes esse belluæ multorum capitum, quæ agitata septem transire conaretur; Unde cum capita diversa, diversa foramina transeundi quererent, necessariam fore ut simul & corpus, & caudæ immota manerent, & ne progredierentur ulterius, impedirentur: Imperatorem verò suum se comparare belluæ unicipiti, quæ plures caudas haberet ita ut si caput per unicam transitum penetraret, necessario & corpus & caudæ unâ, absque omni impedimento cogentur sequi. Per hanc, ait tibi Camerarius, similitudinem sanè non insulsam, nihil aliud innuere voluit, quam dissensionem animorum, & distractionem virium Christianorum; è contra concordiam & potentiam unam Tatarorum.

XL. Scilicet hoc est quod ante multos annos Laonicus Chalcocondilas de rebus Turcicis lib. II. scripsit: Germanos, si concordia studiosè essent, & sub uno degerent principe, plane esse invictos, mortaliumque fortissimos. Ex re & vero, autem Camerarius dicto loco ait, quod omnium prudentum constans sit sententia, si solummodo Germania, (ut de reliquis Christianis regibus & principibus tacèa) concors & unita esset, favente Deo ei sufficere milites, opes, instrumenta bellica, annonam & alias res necessarias ad Turcicam potentiam reprimendam, & eos ex Europa decurbandos. Nec alio animo intuiti sunt hæc bella alij sapientiæ Coryphæi. Marcus Antonius de Dominis libr. VII. de republica Ecclesiast. c. ult. ait; quod hæc & aliarum Turcicam excitent, ut hoc quod reliquum est nostræ Europæ, in quod vehementer inhiat, totum devoret, & absorbeat. Erasmus in explanatione adagij istius, dulce bellum inexpertis, quod primum est in
centuriâ

centuriâ 1. Chiliadâ. 4. An unquam apud Ethnicos bellatum est aut
 æquè perpetuo, aut crudelius, quam inter Christianos? Quas tempesta-
 tes, quos bellorum ætus, quoties discissa fœdera, quas strages his paucis
 annis conspeximus? quæ natio, cum quâ non conflictata est ferro? Et
 postea Turcam execramur, quasi possit ullum spectaculum Turcis esse
 jucundius, quam quod illis quotidie mutuis cladibus exhibemus ipsi?
 Philippus in suis scriptis ad pacem publicam gentem nostram scœ-
 pissime hortatur, nos duo tantum loca afferemus. Libro 1. Chronic.
 ita inquit: Ut minus sit confusionum, optandum est, ut principes in
 Germania hoc decus (quod reliquias Romanæ Monarchiæ Deus
 eam tenere, & præcipuos esse custodes Europæ voluerit) sapientia
 & virtute tueantur, nec privatis discordiâ Germaniam ipsi dilace-
 rent. Hanc curam, præcipuam esse oportebat summi in terris sena-
 tus, videlicet collegij Electorum, ut Europa & caput & vires haberet
 contra Turcicam barbariem & Tyrannos, qui injusta bella movent,
 perniciosos toti Europæ. Idem in carmine quodam Elegiaco, quod
 tom. II. orat. & præfat. invenies, Germaniam Ferdinandum sic al-
 loquentem facit:

*Sed prius externos quam progrediaris in hostes
 Certa tibi pax est constituenda domi,
 Sed andiq̃ graves de religione tumultus;
 Hoc regem tantum, quantum es ipse, decet.
 Tunc Deus indomitas tibi Marte favente cohortes
 Turcarumq̃ dabit vincere posse manus.
 Tunc, quas nulla tibi poterit delere vetustas,
 Laudes semper erunt, gloria semper erit.*

Justus Lipsius lib. IV. polit. c. III. Europam omnem sic affatur:
 O melior mundi pars, quæ disidiorum faces Religio tibi accendit!
 Colliduntur inter se Christiana reipublica capita, & milleni aliquot
 homines perierunt, ac pereunt per speciem pietatis: Quis hic filebit?
 non ego, & quamvis cum Platone sciam εὐδία βολα τὰ πικρὰ τε
 πρὸς τὰς πλῆθς calumnijs hac obnoxia invulgas.

XLI. Lutherus in sermone scripto Anno M. D. XXVIII. vom
 Kriege wider den Türcken/qui tomo II. German. edit. Witeberg-
 exstat.

exlat. Welches alles vnd dergleichen billig solte alle Fürsten vnd
das ganze Reich zur Barmherzigkeit bewegen / daß sie ihre eigen
Sachen vnd Hader eine weile vergessen/oder liegen lassen/ vnd hie
mit gangen Ernst dem Elenden helfen/ daß nicht vollend gehet
wie es mit Constantinopel vnd Griechenland ging; welche auch
so lange mit einander haderen/ vnd ihre Sache warreren/bis der
Türcke sie alle mit einander vberwältiger. Wie denn schon auch
vns/ eben in gleicher Sachen / fast nahe kommen ist. Sols aber
nicht seyn/vnd vnser vnbyßfertig Leben/vns aller Gnaden/Raths
vnd Trost vnwerth machet/so müssen wirs lassen gehen/vnd vnrer
dem Teuffel vns leyden/Aber damit vnenschuldiger die/so hie helf-
fen solten vnd thuns nicht. Et iterum: Wo vnser Könige vnd
Fürsten einer ächtlich einander beystünden vnd hülffen/dar zu der
Christen Mann auch für sie betet/wolt ich vnverzagt/ vnd grosser
Hoffnung seyn/der Türcke solte sein Toben lassen/vnd einen Mann
am Käyser finden der ihm gewachsen were. Wo aber nicht/ son-
dern solt also gehen vnd stehen/wie es jetzt gehet vnd stehet/das kei-
ner/ mit dem andern eins / noch vnsernder Trew / ein jeglicher
für sich ein Mann seyn wil / oder mit einem Berteldienst zu Felde
zeuge / muß ichs geschehen lassen / wil auch zwarren gern beten.
Aber ein schwach Gebet wirds seyn/ denn ich zumahl wenig Glau-
bens darin haben kan/ daß er hören werde / weiln man so kindisch/
vermesslich vnd vnfürsichtiglich solche grosse Sachen fürnimpt/
da ich weiß/daß Gott versuchet wird / vnd kein gefallen daran ha-
ben mag. Ita hic *θεωροῦντος παρρησιάζεται*. Christophorus Heidman-
nus, vir doctus & pius in *Europa sua* c. XII. §. 151. de Thracibus
hæc verba Herodoti è libro ipsius 5. habet: *Gens Thracum secundum
Indos omnium maxima est, quæ si aut unius Imperio regeretur, aut
idem sentiret, ut me a fert opinio, inexpugnabilis foret, & omnium
gentium multo validissima, sed quia id nimis arduum illis est, & nulla
ratione contingere illi potest, ideo imbecilles sunt.* Et statim addit:
*Hæc cum legimus, an quinquam est ita prorsus omnium rerum ignarus,
aut de salute communi securus, ut de Germaniâ nostrâ ei in mentem
non veniat? quæ si iudem consiliū uteretur, & tanquam unâ mente
regeretur, omnibus hostibus suis formidabilis esset. Facile certe salu-
tem suam & dignitatem contra quosq; tueretur.*

XLII. Rem

XLII. Rem acu tetigisti, optime Heidmanne; Nihil enim ad frangendam foevissimorum Turcarum proterviam utilius, nihil Reipublicæ nostræ Romano Germanicæ, magis proficuum, nihil Ecclesiæ salutaris, quam membra suaviter conspirare in totius quasi corporis conservationem. Audita quidem sæpe sunt tubæ, quibus si Dijs placet etiam Theologi classicum cecinerunt, populo pro concione persuadere conantes, *bellum, quod communi Christianorū consensu contra Mahumedanos geri oportuit, utilius ad Dei gloriam contra sectarios, qui inter nos sunt, omisit Turcū verti debuisse;* Eam enim sententiam quibusdam tribuit vir Illustris Jacobus Augustus Thuanus *lib. LXVII. Quam piè autem & juxta mansuetudinem Christianam hoc dicatur,* dico cum Thuano, ipsi, qui conscientias aliorum moderantur, conscientiam suam rogent. Vix me possum temperare quin denuo Erasmi quædam ex Adagij de bello paraphrasi afferam, imo affero: *Belligeramus,* ait, *asidue, gens cum gente colliditur, regnū cum regno, civitas cum civitate, princeps cum principe, populus cum populo, & quod Ethnici quoq; fatentur impiū, affinis cum affine, cognatus cum cognato, frater cum fratre, filius cum patre. Deniq; quod ego sane puto his omnibus atrocius, Christianus cum homine: addam invitus, quod est atrocissimum, Christianus cum Christiano.* Et d' cœlitem mentū humane, hæc nemo miratur, nemo detestatur. Sunt qui applaudant, qui vehant laudibus, qui rem plusquam tartaream, sanctam appellent, at principes ultro furientes instigant, oleum, quod ajunt addentes camino Alius è sacro suggesto promittit omnium admissorum condonationem, qui sub ejus principis signis pugnarint. Alius clamat, invictissime princeps, tu modo servamentem istam religioni faventem, Deus pugnabit pro te, Alius promittit certam victoriam, Prophetarum voces ad rem impiam detorqueus, & aliquibus lineis interjectis: *Tam bellaces audivimus conciones monachorum, Theologorum, Episcoporum.* Itaq; bellatur à decrepitis, bellatur à sacerdotibus, bellatur à monachis, & in subsequentiis: *Indignatur, inquit, Paulus, ullam controversiam, esse inter Christianos, ut judex sit ad eundem, qui litem dirimat. Quid si conspiceret nos toto orbe belligerantes, & quamvis levi de causa, immanius, quam ulli bellarint Ethnici, crudelius, quam ulli barbari*

id 93

adq̄ fieri auctoribus, hortatoribus, adiutoribus his, qui pacificum illum, & omnia conglutinantem pontificem representant, quiq̄ patris omine salutant populum?

XLIII. Quos ita affectuum nebulæ obfuscarunt, ut omni mansuetudine Christiana abjecta ad arma capienda avidissimam novitatis plebeculam adigant, hi cogitare deberent, *arma Christi militibus assignata* (Grotianum profero monitum ex lib ipsius, de: veritat. relig. Christianæ VI) non esse qualibus Mahometes, niitur, sed Spiritus propria, apta expugnandi munitionibus, que adversus Dei cognitionem erigunt: pro securo fiduciam, que tela ignita Diaboli repellat; pro lorica iustitiam sive rectitudinem vitæ; pro galea, que, quod infirmisimum est tegat, spem eterna salutis; pro ense vero tradita divinitus verba, penitissimas animi partes penetrantia. Hi inquam, qui furijs quasi agitati, & Spiritu vertiginis impulsis, nihil moderati sapiunt, ponderent, quæso, mitem & æquabilem Georgij Cassandri sententiam, quam propterea non omitto. Habet, ait in *Tractatu de officio pij viri circa religionis, dissidium, utraq̄ pars suos propugnatores, qui partis sue studio incitati, quovis modo causam suam defendere, & tueri conantur, & hostili animo adversam partem insectantes, in eâ perdenda & extinguenda omni studio laborant; cum tamen in utrisq̄ castris boni & equi viri reliqui sunt, qui communem Reipublicam amantes, ad pacem & concordiam mutuam, & ad prisca Reipublicæ leges, quibus initio constituta fuit, instaurationem, omnia sua consilia & studia conferunt.* Accedat & huius Academiæ antistes olim celeberrimus David Chytræus, cujus prudentem & mansuetum genium quis culparet? Absit, ait, ut ipsas Ecclesias, principes aut populos alicubi dissentientes propterea condemnem, aut condemnandos, seu flammis & supplicijs, objiciendos esse censeam. Video n. Paulum ipsum etsi Galatarum & Corinthiorum errores quosdam graviter refellit & damnat: tamen Ecclesias Galatiæ & Corinthiorum propterea non condemnare, vel Ethnicis persecutoribus trucidandas objicere, sed nihilominus amantissime complecti & fovere. Ne certe, vero pectore probare, & in alijs etiam requirere moderationem istam, & συμπαθεῖαν erga gentiam exterarum Ecclesiarum, quâ in præmio assertionis suæ de cæna Domini Præceptor meus Paulus

Eberus

Eberus declarat, Deum qui mentes & corda scrutatur, testem appello. Itaq; doleo tanta acerbitate & virulentia multorum odia adversus docentes nostrae confessioni adjunctos, futilibus & vanis hisce calumnijs accendi, quod omnes exteras Ecclesias, Reges, principes, & populos, de Eucharistia dissentientes condemnent, & diabolo tradant, aut minus Turcis ac Scythijs ferendos statuunt. Quae crudelia judicia, ut in nullius pij, & sani hominis mentem venire arbitror, ita toto pectore damnavi & averfatus sum. Hæc ille præfatione in librum de morte & vita æterna.

XLIV. Sed quorsum nos abripit amor patriæ, & contemplatio exulceratissimorum in quibus hodiè vivitur temporum. Regrediamur itaq; è diverticulo in viam, & id, quod restat iter, bono cum Deo conficiamus. Ut autem id eò melius fiat, recolendum est, quod thesi XIV. XV. XVI. & XVII. dictum est, & videndum, an signa illa, quibus veram religionem conspicuam esse oporteat, Corano competant. Atq; hic statim quasi cœno quodam conspurcata deprehenditur Muhumedana, ut ex Dionysio Carthusiano partim audivimus, partim ex Johanne Cotovicolib. IV. *item. c. III*, nunc percipiemus. Fingunt enim varia ibi fore ornamenta, suppellectilem variam, ex argento, auro, & gemmâ conflatam; vestes item, lectos, pulvinaria è serico & bysso, auro & argento intexta. Has esse perpetuas beatorum sedes, hic suum cuiq; à Deo quietis & beatitudinis assignatum locum: hic beatos omnes vestibus indutos sericis mollissimis, & coloris omnigeni, sub amplissimæ arboris felicissima umbra æternum gavisuros. Porro quicquid ciborum & fructuum desiderari possit, singulis abundè & lautè hic Angelos impertituros: eos namq; tanquam dapiferos pincernasq; delicatissimos cibos, vinaq; suavissima & pretiosissima, aureis in vasis, argenteisq; singulis affatim ministraturos. Complexibus insuper mundarum & speciosissimarum fœminarum, stellarum instarmicantium fruituros. Has non ab hominibus genitas, sed ab æterno ad beatorum usum creatas fabulantur. Quas autem Alcoranus mundas appellat, illi liberas à menstrui interpretantur, scilicet ut quovis tempore liceat coire. Non tamen inde futuram prolem, sed voluptatis causâ adhibendas volunt. Quin & singulis viris complures illic futuras uxores pro meritorum ratione, deumq; huic plus
E
illè

illi minus viridam largiturum, ut vel pauci vel multi reddat debitum; atq; inde etiam colligunt, nihilq; certius esse ducunt, longe plures futuras in paradiso feminas, quam viros. Deniq; omnes tantas delicias, tantaq; carnis oblectamenta percepturos credunt, quanta excogitari à quoquam possint. Hucusq; Cotovicus.

XLV. Si pecudi daretur fandi facultas, quæ magis bruta & absurda proferret, equidem non video. Sic ne homo ejus conditionis, ut non majoris boni, quam quod in crassa cibi potusq; delectatione, viliq; corporis titillatione consistat, in æternâ vitâ particeps fieri queat? Constitueritne Deus beatitudinem nobis talem, quâ sapius, vehementius, & diutius bestia quam homines perfruantur; quæ ne in hac quidem mortalitate sine aliquo pudore clanculum, nedum in propatulo appetatur? Possitne admitti, ubi nec individuum sustentatione, nec species propagatione, cum incorruptibilia facta sunt, indigeant? Civilem quidem nonnulli felicitatem, cum unusquisq; suam ex instituto vivendi opinionem hauriat, in corporis voluptate collocarunt. Quorum princeps teste Cicerone II. Tusculanarum fuit Aristippus, degener Socratis discipulus, hunc sequuntus est Hieronymus Rhodius omnesq; Cyrenæici, in ramos postea Hegesiacorum, Anniceriorum & Theodotiorum divisi. Ab his doctrinam suam mutuatus est Epicurus, ita tamen ut interpolarit. Ipse in Epistola ad Menæceum, quam Diogenes Laërtius decimo de philosophis libro nobis conservavit, sententiam suam ita explicat: *Quum dicimus voluptatem finem esse, non luxuriosorum & nepotum voluptates easq; quæ in gustu, & ingluvie sunt positæ, (ut quidam ignorantes aut à nostra sententiâ dissentientes, aut malè accipientes arbitrantur) sed non dolere corpore, animoq; tranquillum esse, & perturbatione vacare dicimus.* Hæc equidem ita ipse Epicurus, unde etiam Seneca de vita beata eum excusare conatur, sicut hæc à Clarissimo Horneio, præceptore meo, ut exoptatissimo, ita nunquam non omni animi submissione colendo, lib. I. *Philosophiæ moralis* c. 4. pluribus demonstrantur. Quia tamen voluptates corporis admiscuit, id autem eum fecisse etiamsi antea hoc negarit, admodum probabiliter Hornejus num. 8. istius capituli ostendit, cum reliquis voluptuarijs opprobrium & ignominiam meruit.

XLVI. Præ-

XLVI. Præclare Architas Tarentinus Pythagoreus apud Cice-
 ronem Catone majore, nullam capitaliorem pestem, quam corporis
 voluptatem, hominibus dicebat à natura datam. Quumq; homini sive
 natura, sive aliquis Deus nihil mente præstabilius dedisset, huic divino
 muneri ac dono nihil tam esse inimicum, quam voluptatem. Dion.
 Chrysostomus, quatuor libros de regno elegantissime conscripsit,
 illorum quarto sive Diogene fraudem molles, & delicatos præ-
 euntem introducit, quæ polliceatur se illos ad infinitam honorum co-
 piam, & omnino ad ipsam felicitatem deducturam, revera autem id
 agat, ut ipsos clam in altissimam aliquam & plenam sordibus cloa-
 cã cum coronis & veste crocatã deiciat. Tali igitur (ita enim pergit)
 domino serviunt, & talia patiuntur in universa vita deceptæ animæ,
 quotquot labores fugiunt, nec eos ferre possunt: sed voluptatibus ser-
 viunt, iisdemq; & solis corporibus delectantur, & hanc vitam tur-
 pem, flagitiosamq;, non tam ab ijs electam, quam ad eam delatæ tra-
 ducunt. Hæc Dion. Sunt autem ea, quæ attulimus, ex versione An-
 dreæ Mylij, consiliarij quondam Megapolitani. Quid Socrates de
 voluptate senserit, vel ex unica disputatione quam contra Aristip-
 pum apud Zenophontem lib. I. in principio instituit, abunde li-
 quet. Plato sive potius Socrates, apud Platonem in Phedone existi-
 mat in deorum genus nulli fas pervenire, præter eos qui discendi cu-
 piditate flagrantes & philosophati sunt, & puri penitus decesserunt.
 Horum quidem, ait, gratia, ô amice Simmia atq; Cebes, qui recte Philo-
 sophantur, ab omnibus corporis cupiditatibus abstinent, atq; ita perse-
 verant, nec se illis unquam tradunt. Contra autem eos, qui ventri de-
 diti, per inertiam atq; lasciviam vitam egerunt, neq; quicquam pensi
 pudorũq; habuerunt, in asinos dicat similiq; post obitum deijci. Ho-
 rum vestigijs insistens Philosophus lib. I. Ethicorum ad Nicoma-
 chum c. 3. graviter censet, hanc voluptuariorum sectam cum ni-
 hil homine dignum tradat, belluinam esse. οἱ μὲν ἐν πολλοῖς παντε-
 λῶς ἰσθρὰ ποδῶδες φαίνονται, βοσκημάτων βίον περὶ αἰγόμενοι.
 Pleriq; ergo serviles prorsus videntur, cum pecudũ vitã eligant. Veteri-
 bus jungatur Ludovicus Vives, is enim introductione ad veram sa-
 pientiã sic ait. Delectatio corporis ut corpus ipsum vilũ ac pecudina est,
 quã sapius vehementius & diutius pccora quam homines perfruuntur.

Ex hac cum morbi pleriq; ad corpus redundant & ad rem familiarem permagna damna: tum ad animum certa penitentia, & hebetudo ingenij, quod delicijs corporis extenuatur ac frangatur: deniq; odium virtutum omnium. Quid, quod sunt fugacissime, nec retineri ulla vi possunt, nec unquam veneunt pure, cujuscunq; amaritudinij expertes? Plutarchus itaq; contra Epicurum ita insurgit, ut singulari opusculo, *ὅτι μὴδὲ τῶν ἐστὶν ἡδέως καὶ Ἐπίκουρον*, quod nequidem jucunda vita secundum Epicuri dogma esse possit, demonstrat.

XLVII. Si ita exacerbata fuit in Epicurum & alios imbelles animos tota sapientum schola, cum tamen illi temporarium, & civile tantum bonum, in voluptate ponerent, quid illam facturam existimamus si compertum habuisset, Mahometem revelationes, quibus contradicere nemo debeat jactare, & tamen hominis propriam, præcipuam, atq; adeo in altero ævo obventuram felicitatem, in delectatione tam crassa collocare? Profecto vel hoc uno nomine imperitum vulgus, ut ab hac monstrata & pestilenti doctrina sibi caverent, consilio & ope juvissent.

XLVIII. Sed nec operosa refutatione mendacia Pseudoprophetae indigent. Tam apertè illa, quæ in Aleorano ex Scriptura adducit, corruptit, ut quivis mediocriter ad rem attendens id deprehendere possit. Nisi forte pallium errori suo tegendo quarit, prætendendo, scripturam utramq; depravatam esse, illam quidem à Judæis, hanc vero à Christianis, præsertim cum nominis sui nunc non amplius, ut olim, ibi fiat, mentio. Verum hoc spiculum livoris, quod in Judæos & Christianos mittere tentat Pseudopropheta, apertum petit aëra. Ac primo quidem, si Judæi falsa runt scripturam, vel ante adventum Christi id fecerunt, vel postea. At non ante; ita enim dominus & Apostoli, qui cœtera crimina scribarum & Phariseorum taxant tam

grande nefas & morte piandum

non tacuissent, quod non fecerunt: Nec postea, tum enim ea, quæ ex Veteri Testamento Christus & Apostoli citant, cum Hebræo fonte non congruerent, quod rursus falsum est. Secundo non est credibile *Judeorum gentem*, (ut S. Augustinus lib. XV. de civitate Dei cap. c. XIII. ait) *tam longe lateq; diffusam, in hoc conscribendum mendacium*

datum uno consilio conspirare potuisse: & dum alijs inuideant authoritatem, sibi abstulisse veritatem. Multo minus verisimile sit hoc ei, qui divinam providentiã aspiciat. Dedit nempe Deus ex mera misericordia toti generi humano nobilem hunc thesaurum, ut eum cognosceret, & celebraret, quemadmodum ibi præscripsit. Cur ergo tot illustria testimonia interire sineret, præsertim cum illi facili sit tales technas impedire & irritas facere. Sed & hoc cum sollicita cura, & summa ac incredibili sollicitudine, quam Judæi in conservando & custodiendo codice ad admirationem usq; semper adhibuerunt, adversa fronte pugnat. Scribit enim Philo usq; ad sua tempora per spatium, plus quam mille, annorum, ne verbum quidem in lege eorum mutatum esse. addit etiam unumquemq; illorum citius crudelissimo supplicij generi se subjecturum, quam ut hoc permittat. Idem eo Eusebius *lib. IIX. de præparat. Evang. c. II.* adducit. Recentiores vero, magis anxios & scrupulosiores se ostenderunt, in tantum quidem, ut legem instar numinis venerentur & ieiunium indicent, si forte manibus elapsus in terram ceciderit. An ergo scripturam corruperunt? Non credo; Imò nec corrumpti passi sunt, præsertim cum in Masora, quæ statim post Esdra tempora coepit, non varias lectiones tantum religiosè semper notarent, sed paulatim etiam omnes versus & literas numerarint, ut nihil corrumpi ex eo tempore potuerit. Ita integritas Veteris Testamenti contra impurum Mahometem & quosvis alios astruitur. De Novo autem libet eos quarere, quo tempore nomen Mahometis ex illo erasum esse velint, an ante adventum Mahometis an post: Non ante; quia nulla erat mutandi causa. Nunquid enim, antequam nasceretur, odio potuit haberi, aut doctrina ipsius invisa esse, antequam quid docturus esset, cognosci poterat? & cur non Mahometem, si Spiritus Sanctus ipse huic testimonium perhibuisset, eodem desiderio quo ipsum Messiam expectassent? Neq; post, tunc enim in tot linguas est traductum, cum non longe à Christi assensu ad coelos tantum exstiterint exemplaria Syriaca, Arabica, Græca, Ethiopica, Latina vero, ut Sanctus Augustinus *lib. II. de doctrina Christianâ* ait, nullo modo, hoc est innumerabilia, ut impossibile sit in tantâ luce tenebras offundi potuisse. Pudeat itaq;

- Mahumedanos magistri sui, qui absurdorum absurdissimis hæc falsissima adjungere non est veritus.

XLIX. Dum ostendimus Mahometem mendacem fuisse in eo, quod dixerit suum nomen in Evangelio fuisse lectum, hoc ipso antiquitate, quam alteram veræ religionis non tam supra fecimus, privatur. An vero perpetuò dominatura & ad novissimum diem usq; duratura sit ipsius religio, quemadmodum divinis oraculis edocti, de nostra certò statuimus, usq; quaq; expeditum non est. Si vero opinioni, quæ formidinem oppositi includit, datur locus, aliquot signis à Leoncivio in præmio historiae Musulmannæ inductis, speramus fore, ut si non interitus, saltem mutatio insignis ei portendatur. Adde quod Apocalypsis nobis videtur hujus assertionis ansam præbere. Gog & Magog *adscenderunt*, verba sunt ipsius Johannis c. XXV. 9. *super latitudinem terre, & circumvenerunt castra sanctorum, & urbem illam dilectam; Sed ascendit ignis à Deo caelo, qui devoravit eos.* Magog Gen. X. 2. memoratus juxta Josephum 1. Antiq. c. 7. *auctor è Magogorum, qui à Græcis vocantur Scythæ.* Turci autem Scythicæ sunt originis. *Quum itaq; (liceat mihi iterum uti verbis Calixti ex libello de supremo judicio) verisimile non sit, damnum ingens, quod à Turcù Ecclesiæ datum est, silentio in Apocalypsi præteriri, nec alius locus, qui ipsi rei commode aptari possit, occurrat, hunc ipsum de Turcù accipiendum esse, isq; ante extremum diem insignem aliquam cladem aut perniciem imminere, non improbabile est.* Hæc Calixtus, cui nos quoq; ὁμόψυχοι sumus. Interea nos solemur his perspicuis dictis: *Omni negans filium, neq; patrem habet* 1. *Johan. 2. Nemo venit ad patrem nisi per filium, Johannis 14. Qui non credit jam judicatus est, quia non credit in unigenitum filium Dei. Johannis 3. item, qui non credit filio non videbit vitam, sed ira Dei manet super ipsum: & deniq; Fundamentum aliud poni non potest præter id quod positum est, quod est Christus Jesus 1. ad Corinth. 3. Hæc cogitantes, ait Philippus Melanthon in Chronico, quotidie sciungamus invocationem nostram à colluvie Mahometica, & Deo gratias agamus, quod nos Ecclesiæ suæ inseruit. Quamquam enim ingens multitudo est & potentia gentium in maxima parte generis humani, qui Mahometi blasphemias amplectuntur, tamen firmissime statuamus,*
impos-

*impossibile tales esse Ecclesiam Dei, qui expresso rejiciunt scripta
Apostolica & Prophetica, & negant Christum esse redemptorem.*

L. Quarta proprietas veræ Religionis fuit, ut si non omnes certe pleriq; relictis vitiorum Cloacis virtutis rore quasi irrigantur. Virtutem autem cum Ludovico Vive voço, pietatem in Deum & homines, cultum Dei, & amorem in homines, voluntatemq; beneficiendi. Hic autem tantum abest, ut recte se gerant Muhamedani, ut potius existimem, vix unquam existisse populos, qui odio aliorum hominum magis flagarint, truculentiores, immaniores, alieniq; appetentiores fuerint, quam hi ipsi. Cum enim dogma suum ferro propagare jubeantur, an ullum scelus intentatum relinquent, modo præcepto huic obediant? Sed de his satis.

LL. Ad Judæos venimus, quibus si ostendi possit, Messiam dudum venisse, conclamata res erit. Cardo itaq; totius negotij in eo versabitur, ut hos evincamus. Genesios itaq; XLIX, Patriarcha Jacobus, divino impulsus Spiritu, quæ filijs suis eorumq; posteris contingere deberent, edisserit. de Tribu Juda autem v. 10. ita inquit: *Non recedet sceptrum de Juda, neq; legislator è medio pedum ejus, usq; quo veniat SILOH.* *Non recedet sceptrum de Juda,* hoc est, ut Clarissimus Calixtus hunc locum *παραφρασεως*, res publica non excindetur, populus, qui aliquando potissima sui parte ex posteris Juda constabit, & ab illo denominabitur, non desinet suis legibus & statutis vivere, jurisdictione frui, atq; adeo populum & rem publicam constituere; *neq; legislator,* qui populum reget & moderabitur, *è medio pedum ejus,* è semine ejus, ut expressit vetus interpres, id est ex ejus sanguine & semine progenitus, *usq; quo veniat siloh,* est Rex Messias. Adjungo Chaldæicas paraphrases, Onkelos, Jonathanis & Hierosolymitani, quibus si Mosen & Prophetas excipias, Judæi nihil antiquius aut præstantius habent. Primus sic: *Non deficiet faciens dominium de domo Juda, & scriba filiorum ejus in seculum, donec veniat Messias, cujus est regnum, & ipsi obediant populi.* illvita: *Non deficient reges & principes de domo Juda, & scriba doceat legem de semine ejus, usq; ad tempus, quo veniat Rex Messias, parvulus filius ejus, per quem debilitabuntur populi.* Hic vero; *Non deficient reges de domo Juda, neq; scriba docto-*

doctores legis, de filiis filiorum ejus, usq; ad tempus, quo veniet
Messias, ejus est regnum & ei subjicientur omnia regna terræ. Ita
illos evidentia textus coëgit, ut faterentur, prius venturum Messi-
am, quam calamitas illa immineret. Cum itaq; ante multa secula
sceptro privati sint, imo cum diutius ferè eversum sit illorum impe-
rium, quam antea floruerit, (elapsi enim sunt à tempore excidij
C. D. D. C.) Messiam quoq; venisse necesse est. Non sumus nescij,
recentiores Judæos miserè se torquere, ut prædictionem pro-
pheticam eludant, mutilent & pervertant, verum si attendas, in-
venies hæc frivola esse, & nullius momenti. Quare ne latum quidem
unguem nos à textu abduci patimur, sed cum beato Lutero com-
ment. in hunc locum dicimus: *Wier sehen den Jüden entgegen
die 1500 Jahr (& quot jam excurrunt) des jenigen / daß mit der
Zeit erfüllet ist die dienen für vns / vnd reimen sich mit den klaren
Worten dieses Texts.*

LII. Quod autem vaticinium illud in nullum alium quam in Je-
sum Christum quadret, facile probatur. Nam primo nemo sub so-
le fuit qui nomen Messia sibi arrogaverit, nisi Barchochebam,
dixeris, qui anno post destructionem templi quinquagesimo secun-
do talem se venditans, plura, quam quadragies centena Judæorum
millia miserabiliter perdidit. Sed hunc & alios, qui subsequitis
temporibus videri tales voluerunt, quorum mentionem eos face-
re in lib. Schebheh. Jehudah. author est, Buxtorffius in *Synagoga
Judaica c. XXXVI*, homines nequam deceptores & impostores
fuisse, eventus docuit. Deinde exacte, quæ eventura esse Patriarcha
dixit, huic congruunt. Nempe sceptrum tam diu saluum & inco-
lume debebat esse, donec venisset Messias; & fuit etiam. Ubi vero
appulerat, conveniebat sceptrum auferri, politiam excindi, gen-
tem ipsam antiqua dignitate privari. Quod & ipsum contigit, an-
no enim ab ascensione ipsius XXXVIII. Titus Vespasianus urbem
cepit, captam diripuit, direptam solo æquavit. Josephus refert fa-
me & gladio periisse, undecies centena millia hominum, centum
autem millia esse vendita. Quare cum nullus in toto orbe præter
Christum reperiat, qui nomen & titulum Messia, sibi vel tribue-
re ausus fuerit, cumq; post adventum nostri salvatoris res Judaica,
jaceat,

jaceat, adde cum omnes populi nomina sua ipsi, uti idem predictum erat, dederint, de quo etiam supra dictum; luce meridiana clarius radiat, hunc ipsum patribus promissum & tantopere desideratum Siloh esse.

LIII. Haut dispar nec minus luculenta est Prophetia apud Dan: c. 9. v. 24, quandoquidem Archangelus Gabriel Israëlitas, diuturna captivitate detentos, & hinc inde fluctuantes, proposito certo & definito adventus Messiae tempore fulcit & sustentat. *Septimana LXX, inquit, decisa sunt super populum tuum, & super sanctam Civitatem tuam, ad cohibendam defectionem & obfignanda peccata, & expiandam iniquitatem, & adducendam justitiam perpetuam, ut obfignetur visio & prophetia, & ungetur sanctus sanctorum. Igitur cognoscito & intelligito, ab enuntiatione verbi de restituendo & de edificandis Hierosolymis, usque ad Christum antecessorem, fore septimanas septem, deinde septimanas sexaginta duas, cum eris rursus edificata platea & fossa, idque in angustia temporum. Post septimanas autem illas LXII. (subintellige, septem illis junctas) excinderetur Christus, & nihil erit ipsi, & civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, eritque illius finis cum inundatione, & c. Hic 1. Judæi nobiscum consentiunt per hebdomades intelligi annorum hebdomades, ubi scilicet septem anni illam constituunt, ut septuaginta hebdomades faciant annos CCCCXC. 2. Neminem credo negaturum, Gabrieli sermonem esse de reedificatione Hierusalem per Nehemiam instituta. 3. Non permittit textus ut eum intelligas de alia, quam quæ per Titum facta est desolatione, cum occupata quidem tempore Maccabæorum legatur, at à nullo nisi à Tito excisa. His suppositis necessario sequitur Messiam de quo Gabriel hic verba facit, ante excisionem apparuisse. Nec nominare possunt aliquem, cui tempus illud applicetur; annorum autem Danielis optima cum tempore adventus Christi est congruentia, ut nunc videbimus. Sume initium hebdomadum undecunq; velis, videbis eos incurrere in annos Christi. Quia autem Gabriel ait, *ab exitu sermonis ut iterum habitetur & adificetur Hierusalem*, non obscure indicat, unde sit inchoanda numeratio. Nimirum etsi jam ante Cyrus edictum ediderat, quo Judæis concedeba-*

G

tur

tur potestas revertendi in patriam, tamen illa expeditio à Cambyse Cyri filio, metente ne Judæi Ægyptijs, quibus bellum inferre tentabat, se adungerent, impedita est. Incipiamus itaq; numerare hebdomades ab eo tempore, cum ædificatio nullis turbata prohibitionibus processit, statuamusq; initium ab egressione sermonis de processuro opere, cum Artaxerxes Longimanus Beldra è Babylone in Judæam venienti ex voto satisfecisset, ut legitur Esdrae 6. v. 6. Sic enim passio Christi exacte in annum CCCCXC. incidit.

LIV. Pergamus ad alium Prophetam Haggæum nempe, ibi enim Deus ipse Zerubabelem Ethnarcham & Josuam Pontificem maximum, dolentes, quod exstructum à se templum longè inferius esset veteri illo Salomonis, solatur. Venturum enim Regem Messiam, qui defectum hujus templi sua præsentia supplens, etiam majorem honorem illi, quam priori, conciliaturus esset. *Quis est inter vos reliquus, qui viderit domum istam in gloria ipsius prioris? Estne qualem vos videtis eam nunc, nonne ad illam tanquam nihil est in oculis vestris? At tamen nunc confirmare Zerubabel, dictum Domini, & confirmare Josua filii Josedeci, Sacerdos maxime, & confirmare universe popule hujus terre, dictum Domini exercituum: Sic enim ait Dominus exercituum, adhuc semel parum illud est, tunc ego commoturus sum cælos & terram, & mare, & sicum, & commoturus sum omnes gentes, ut veniat desiderium omnium gentium, & impleturus domum hanc gloria, ait Dominus exercituum. Major futura est gloria domus hujus posterioris, quam illius prioris, ait Dominus exercituum: nam in loco hoc disponam pacem, dictum Domini exercituum. Videntur illum hoc templum magis efferre & extollere quam prius, cum tamen neq; quoad materiæ excellentiâ & structuræ magnitudinem, neq; quoad artem & ornatum, cum priori conferri possit. Quare vera hujus templi gloria in eo constitit, quod Messias illud adventu suo beaturus & illustraturus esset, uti etiam prisca Judæorum Schola agnovit. Ut autem prorsus indubitatum hoc esse scias, Messiam stante templo secundo venire debuisse, audiamus etiam Malachiam; hic enim ut & Haggæus tempore secundi templi vixerunt, & mutuo se interpretantur. Ecce ego, inquit apud eum Dominus 6. 3. v. 1. missurus sum Angelum meum, qui expediat viam ante me:*

mo: & repente veniet in templum suum Dominus, quem vos queritis,
& Angelus federis, quo vos delectamini: Ecce venturus est, ait Domi-
nus Exercituum. Apage itaq; Judæos, qui plus quam sesquimille
annis, ab exciso templo, ut sapius dictum est, hinc inde errare,
quam Verbo ipsius Dei, qui per summam suam sapientiam neque
errare, neq; per infinitam bonitatem ullum decipere potest, credere
maluerunt.

— LV. Tandem, ut compendium verborum faciam, non male
urgentur Judæi hoc pacto: Promisit illis Deus fœdere, per Mo-
sen fidelissimum suum Servum inito, fore, ut felices terræ Palestinæ
possessores essent, quamdiu suos mores ad Legem, tanquam ad
Lesbiam regulam examinarent. Exod. XV. Levit. XVIII Deut. VI.
VII. & XI. Rursus si id facere negligerent, & extra metas sibi præ-
scriptas vagarentur, varia poenarum genera, præcipue autē exilium
illis minatus est, uti cum alibi videre est, tum Levit. XXVI. Deut. IV.
XI. XXVIII; hac tamen annexa conditione, ut, si ad ipsum rever-
terentur, & ex toto corde converterentur, se certissimum experi-
rentur liberatorem. Atqui sesqui mille præter propter præteriere
anni, ex quo extorres, miseri, vagabundi existentes, suis precibus,
obtestationibus, jejniis, nihil efficere potuerunt. Quare necesse
est è duobus unum concedant, vel pactum illud Mosaicum abro-
gatum esse, vel polluisse se Judæos omnes gravi & tot jam secula
durante peccato. Quod qualè sit, si sciunt, non subterfugiant,
sed potius ingenuè fateantur, si vero ignorant, uti eos ignorare
certò scimus, nobis fidem habeant, illud nullam aliud esse, quam
quod Messiam, ante hanc cladem è coelo ad ipsos missum, despexe-
runt & contemserint. Atq; ita quidem tempus, quo Propheta
Παρά τὸν ἄγγελον τοῦ κυρίου, Messiam venturum annun-
tiarunt, jamdudum effluxisse ostendimus. Adderemus etiam alia
Scripturæ loca, ubi Messias suis coloribus ita exprimitur & depin-
gitur, ut, si quis illa consideret, veram & vivam ipsius imaginem in
nullo alio quam in Jesu nostro animadvertere & deprehendere
possit, nisi hæc jam tum ab aliis indicata essent. Tu benevole
lector hac occasione, si videbitur, vide Grotium l. 1. p. 114. & 15.
Notari quoq; quædam possent de absurdis Judæorum, quæ in eo-
rum

rum scriptis reperiuntur, postquam traditiones majorum sacro-
Canonum non tantum æquarunt, verum etiam prætulunt. Sed &
hoc à Claris: Buxtorffio in Synagoga Judaica egregie præstitum
est, unde etiam sub finem *cap. XXXVI.* hoc est ultimi, monet, quod
fides Judaica tota^q Religio ipsorum non super Mose, sed super men-
daciis meris, super falsis, minimeq³ fundatis constitutionibus & Rab-
binorum fabulamentis, plurimumq³ seductorum Pharisæorum adis-
ventionibus exædificata sit: Imo inter Christianos non amplius di-
cendum, quod Judæi pro Lege Moysi propugnent: cum mandata DEI
transgrediantur, ob traditiones ipsorum DEO frustra servientes.
Deus ipsorum & nostrorum omnium miseriatur. Faxit hoc ipsum
benignissimus Pater, ob merita filij sui unigeniti, Domini & Re-
demptoris nostri, qui cum ipso vivit & regnat in secula
seculorum, AMEN.

Cum spatium adhuc aliquod superfit, libuit
Davidis Chytræi quædam ejusdem argumenti appendicis
loco addere: Leguntur autem illa in præleg.
textus Evangelist. c. VI.

Solam hanc Religionem & Doctrinam de DEO, in scri-
ptis Evangelistarum & Apostolorum traditam, esse veram, æer-
ram, divinam & immotam, & vere patefacere hominibus arcanam
voluntatem Dei: & quod omnes alie religiones pugnantem cum Chri-
stiana religione, ut Ethnica, Ægyptiaca, Turcica, &c. commentitiæ
sint & à Deo rejectæ & damnatæ: Sedecim testimonia confirmant, quæ
alibi prolixè explicari.

I. MIRACULA propria natura divina & omnipotentia, ut re-
suscitatio mortuorum & similia, quibus sola Evangelij doctrina est
confirmata, Matth. 9. 28. Luc. 7. Joh. 11. Act. 9. II. Experientia u-
niversali omnium piorum, qui in seriis doloribus & morte, veram &
efficacem consolationem & pacem conscientie, ex sola Evangelij do-
ctrina, percipiunt & sciunt, ut in Psalmo dicitur, Verbum tuum vivi-
ficat me. Item, si quis verbum meum servaverit, mortem non videbit
in æternum. III. Antiquitas Doctrina Evangelij, quæ una cum con-
ditio


dito genere humano statim in Paradiso cœpit: & per Moſen, qui mul-
 tū ſeculū Græcos ſcriptores antecedit, & per reliquos Prophetas uſq; ad Chri-
 ſtum & noſtram ætatem propagata eſt. Veriſſimum eſt autem, quodcunq; pri-
 mum: adulterinum vero quodcunq; poſterius. IV. Vaticinia Prophetarum
 de rebus maximis & remotiſſimis, ut de univerſalibus mundi mutationibus de,
 ordine Monarchiarū, de adventu Chriſti, &c. quibus certo eventus reſpondit.
 V. Ipſum genus Doctrina, quod res graviſſimas & longe ſupra Philoſophia
 & rationis humane conſpectum poſitas, de caaſa peccati, calamitarum, &
 mortis humane, de Remedijs opponendū peccato & morti, de placanda ira Dei
 per Chriſtum, de Immortalitate hominum, de extremo judicio & vita æterna,
 patefacit. VI. Series continua Doctorum & inſtauratorum Doctrina Evan-
 gelij, à Mundi initio uſq; ad noſtram ætatem deducta: qualem Doctorum con-
 tinuationem nullæ aliæ religiones habent. VII. Conſenſus & perpetuitas
 doctrina, quæ una & eadem & ſecum ipſa conſtans, omnibus temporibus in
 Eccleſia manſit. Eſt enim externi ritus mutati ſunt, tamen unica & eadem
 manſit vox Doctrina Legū & Evangelij. VIII. In ſola Eccleſia manſit noti-
 tia Legū Dei integra: cum omnes ceteræ gentes, contra inſitam naturæ no-
 ritiam unius veri Dei, monſtroſam multitudinem Deorum, & Invocationem
 hominum mortuorum: contra Quintum præceptum Mactationes humana-
 rum hoſtiarum: contra ſextum, multiplices confuſiones libidinum, recepe-
 runt, & approbarunt. IX. Series Annorum Mundi, à primo initio, conti-
 nua, nuſquam, niſi in ſola Eccleſia, conſervata eſt. X. Doctrina de Conju-
 gio & caſtitate, & vitandū libidinibus vagis & divortiū, in ſola etiam Eccle-
 ſia Dei permansit. XI. Miranda conſervatio Doctrina Evangelij inter tot
 furores Diabolorum & Tyrannorum, qui eam funditus delere conati ſunt.
 XII. Odium Diaboli rabioſius perſequentū Evangelij doctrinam, quam nullas
 alias religiones Idolatricas, quibus quietem & pacem & ſummas opes ple-
 rumq; tribuit. XIII. Authoritas & multitudo Teſtium fide dignorum, Pro-
 phetarum, Apoſtolorum, ſoo. fratrum, quibus Chriſtus ex morte reſuſcitatus
 apparuit. XIV. Teſtimonium omnium Martyrum, qui ſuo ſanguine effuſo
 doctrinam Evangelij veram & divinam eſſe teſtati ſunt. XV. Pœnæ hor-
 rendæ omnium blaſphemorum & perſecutorum Evangelij, ut Herodū, Nero-
 nis, Juliani, Arii, &c. XVI. Teſtimonia ſacræ ſcripturæ adjungantur.
 1. Theſ. 2. Accepiſtū non ſermonem hominum, ſed ſicut revera erat, ſer-
 monem Dei, qui & efficax eſt in vobis credentibus. Job. 12. Sermo quem
 locutus

locutus sum, iudicabit eos in novissimo die, quia à meipso nihil locutus sum,
sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid lo-
quar. 2. Pet. 1. Non voluntate hominum allata est unquam Prophecia,
sed à Spiritu sancto impulsu locuti sunt sancti Dei homines.

Deliciu CLINGI Musarum, cura parentis,
Spes patria, soboles Magni germana CALIXTI:
Religionis amor vera, Te traxit, ut inter
Nostrorum gnatos Heroum, solus adesses,
Alliceret sacri sibi quem sapientia verbi.
Nonne vides alij faciant quod stemmata tanti
Theiologum ut facile contemnant (quippe futurum
Mundi, quem damnat, vacuo ludibria ventre)
Cumq; opibus querant, quos JUSTINIANUS honores
Offert? Sed tibi mens divinior, altior orbe
Orbe suis fumum vendente, quod indicat illa
Scriptio, quam verà pro Religione tueri.
Maeste animo hoc! sed cur me Præsede quaeso tueri
Aggrederis? nostin quod publica litis arena
Non sit mota mihi, licet baud ignota putetur?
Ergo praesidium, nisi queris, falleris, in TE
Esse mihi liceat quero sine lite beato.
Oremus tamen, ut Deus adsit, M^{q;} tibiq;.

Amica manu Imq; scrib.

M. ELIAS TADDEL;
PSÆSES.







dito genere humano statim in Paradiso cepit: in seculū Græcos scriptores antecedit, & per reliquum & nostram ætatem propagata est. Verissimum: adulterinum vero quodcumq; posterius. IV. de rebus maximis & remotissimis, ut de universalibus ordine Monarchiarū, de adventu Christi, &c. quibus V. Ipsum genus Doctrinæ, quod res gravissimas & rationi humane conspectum positas, de causa peccati mortis humane, de Remedijs opponendū peccato & in per Christum, de Immortalitate hominum, de extremis patet. VI. Series continua Doctorum & instauratorum Evangelij, à Mundi initio usq; ad nostram ætatem deducta continuationem nullæ aliæ religiones habent. VII. Doctrina, quæ una & eadem & secum ipsa constans, in Ecclesia mansit. Etsi enim externi ritus mutati sunt mansit vox Doctrinæ Legi & Evangelij. VIII. In solertia Legi Dei integra: cum omnes ceteræ gentes, contentiam unius veri Dei, monstruosam multitudinem Deorum hominum mortuorum: contra Quintum præceptum hostiarum: contra sextum, multiplices confuserunt, & approbarunt. IX. Series Annorum Mundi, æterna, nusquam, nisi in sola Ecclesia, conservata est. X. castitate, & vitandis libidinibus vagis & divorcia Dei permansit. XI. Miranda conservatio Doctrinæ furiosos Diabolorum & Tyrannorum, qui eam fundit. XII. Odium Diaboli rabiosus persequentis Evangelij de alias religiones Idolatricas, quibus quietem & pacem tribuit. XIII. Auctoritas & multitudo Testium prophetarum, Apostolorum, 500. fratrum, quibus Christus apparuit. XIV. Testimonium omnium Martyrum, quod doctrinam Evangelij veram & divinam esse testati sunt. XV. Testimonia blasphemorum & persecutorum Evangelij, Juliani, Arii, &c. XVI. Testimonia sacra scriptura. 1. Theß. 2. Accepistis non sermonem hominum, sed scientiam Dei, qui & efficax est in vobis credentibus.

qui mul-
 ad Chri-
 cunq; pri-
 betarum
 onibus de,
 spondit.
 losophiæ
 tum, &
 ira Dei
 eterna,
 a Evan-
 um con-
 peruitas
 bus in-
 eadem
 te noti-
 ure no-
 tionem
 mana-
 recepe-
 conti-
 Conju-
 Eccle-
 tcr tot
 sunt.
 ulla
 s ple-
 Pro-
 tatus
 ffuso
 hor-
 lero-
 tur.
 ser-
 uem
 ut us

